

147

H-734

STANISLAUS A IESU MARIA PAPCZYNSKI

PRODROMUS REGINAE ARTIUM



LITTERAE ALIAQUE DOCUMENTA


1962

Congregatio CC. RR. Marianorum

sub titulo

Immaculatae Conceptionis B. M. V.

ROMAE



W22
STANISLAUS A IESU MARIA PAPCZYNSKI

P R O D R O M U S R E G I N A E A R T I U M

x

x

x

L I T T E R A E A L I A Q U E D O C U M E N T A

1 9 6 2

C O N G R E G A T I O C C . R R . M A R I A N O R U M

sub titulo

I M M A C U L A T A E C O N C E P T I O N I S B . M . V .

R O M A E



603827

K. 271/90

Carissimi Sodales Mariani,

Paucis ante annis si quis voluit legere exstantia scripta Servi Dei P. Stanislai a Iesu Maria Papczynski, debuit accedere quaedam archivia et bibliothecas, ubi eius manuscripta, transcripta vel rara exemplaria operum saeculis anteactis typis editorum, ad legendum sat incommoda, praeservabantur. Quae cum ita essent, anno 1958 Romae a quibusdam sodalibus Provinciae S. Stanislai Kostka incepta est opera cyclostilo imprimendi omnia exstantia scripta Fundatoris nostri, ut saltem sodalibus Marianis accessus ad ea facilius evaderet. Quo pacto ultimis quattuor annis cinque volumina huius "domesticae" editionis apparuerunt et ad usum sodalium tradita sunt, nempe

anno 1958 - Templum Dei Mysticum,
anno 1959 - Doctor Angelicus, Christus Patiens,
anno 1959 - Panegyris Lyrica, Orator Crucifixus sive Ultima
Septem Verba Domini Nostri Iesu Christi,
anno 1960 - Norma Vitae, Varia Scripta,
anno 1960 - Wstęp do Królowej Sztuk, quae est versio Polona Prodrōmi
Artium ab Illustrissimo Domino Professore Eugenio Jarra exarata.

Nunc autem ultimum volumen istiusmodi editionis in lucem prodit. Quam occasionem libenter capio, ut imprimis gratias agam Illustrissimo Domino Professore Eugenio Jarra, qui textum latinum Prodrōmi Reginae Artium e foliis "photostaticis" magna cum diligentia peritiaque rescripsit ac stabilivit. - Attamen excerpta ex prima et secunda editione Prodrōmi necnon Additamenta in fine huius voluminis appōsita, ab aliis ad imprimendum praeparata sunt.

Tunc Rev. mo Patri Iosepho Sielski, Superiori Provinciae S. Stanislai Kostka, cuius Provinciae sumptibus omnia volumina huius editionis confecta sunt, sincerimas gratias ago pro tam prompto ac efficaci patrocinio, cum quo totam hanc operam favere dignatus est; meliorem autem mercedem ei Servus Dei Stanislaus sua intercessione apud Immaculatam obtineat.

Forsitan aliquis possit conqueri opera nostri Fundatoris non esse typis impressa. Speramus in futuro hoc iustum desiderium exsecutum ire. Nunc autem habemus omnia opera Servi Dei in forma modesta, sed omnino sufficienti ad cognoscendum eius animum et eius de vita Christiana et religiosa proposita. Talis cibus spiritualis sparsus est etiam in pluribus paginis Prodrōmi Reginae Artium hoc volumine vobis tradito; qua ratione omnibus nobis "ad bene beateque vivendum stimulo esse potest" (Dedicatio, ed. II).

P. Stanislavus Skutens, M.I.C.
Superior Generalis

Romae, die 1 Ianuarii an. 1962.

P R O D R O M U S
R E G I N A E A R T I U M
s i v e
I N F O R M A T I O
T I R O N U M E L O Q U E N T I A E
A U T H O R E
P . S T A N I S L A O A I E S U M A R I A
P I A R U M S C H O L A R U M

E d i t i o Q u a r t a



C R A C O V I A E

TYPIS BALTHASARI SMIESZKOWIC, S.R.M. TYP.
SUPERIORUM PERMISSU

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY
540 EAST 57TH STREET
CHICAGO, ILL. 60637
TEL. 733-4100



UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

A E T E R N I

V E R B I

P A R E N T I

P I E E L O Q U E N T I

V I R G I N I

M A R I A E

S I N E L A B E U L L A C O N C E P T A E
H U N C R E G I N A E A R T I U M P R O D R O M U M

S U U S P A U P E R E X V O T O S T A N I S L A U S .

D D D

D O C E A S O P U R I S S I M A S A P I E N T I A E G E N I T R I X :

E T

B E N E V I V E R E

E T

B E N E D I C E R E

AMERICAN

VERGIL

LIBRARY

OF THE UNIVERSITY

OF TORONTO

1914

THIS BOOK IS THE PROPERTY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO LIBRARY

IT IS TO BE KEPT IN THE LIBRARY UNLESS IT BE BORROWED

BY THE

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

FOR THE

LIBRARY OF THE UNIVERSITY OF TORONTO

Ille bene loquendi facundiam percipit, qui sinum cordis per bene vivendi studia extendit, nec loquentem conscientia praepedit, cum vita linguam antecedit. D. Greg. M.

Eloquentem ego hunc esse statuerim, qui id, quod animo concepit, perspicua oratione demonstrare potest; non qui doctissimis et sublimibus verbis ea etiam, quae clara et dulcicida sunt, obscurat. Ille siquidem, quod latet, in lucem profert, hic illud etiam, quod omnibus perspicuum est, in tenebris occultat. Eoque nomine ille, ut qui auditoribus prodesse cupiat, amplissimis laudibus celebratur; hic contra, ut qui gloriae suae cupiditate flagret, honoris ac praemii expers relinquitur. Isidorius Pelusiota, l. 3 epist.46.

Eloquens est ille, qui scit parva summis, media temperare, magna granditer dicere; qui scit invenire praeclare, enunciare magnifice, disponere aperte et figurare varie. Cassiodorus.

Hominum imperium ratione et oratione constat; quarum altera regere populos sola non potest, altera non meretur; utraque Principem absolvit. Hoc solum inter eas interest: quod rationi quidem patet, ceteris autem imperat oratio. Lodovicus Borbonius, in praef. Pal. Reg. Eloquentiae.

A M I C E L E C T O R

PRODROMUS hic, quem legis, prodierat curis primis Reginae suae viam paraturus, cum nescio qua fulmen, actum ab arce, vix eum non extinxit; sed ne tetigit quidem. Libera cuiusdam Anonymi vox in liberiores POLONORUM VOCES rigidius quam par erat; debacchata tempestatem illam concitaverat. Subdixi tamen periculo meum partum, amice, sapienterque monitus ab Illustrissimo quodam Sapientissimoque Senatore, cui propterea me fateor devinctissimum. Etenim sublati iam naevis, nitidiorem iterum expedio. Fave, fave, si velis ipsam REGINAM solidis eloquentiae praeceptis et exemplis illustrem benevolus aspicere.

Expectas contenta PRODROMI? Rhetoricus nucleus est. Quod vero observabis ipse, regulis ad fecundiam, praxibus ad mores factis plenus. Nihil aliunde sumpsi, nihil apposui meum, quod non brevem et claram bene dicendi simul ac bene vivendi rationem demonstraret.

Proficere vis aut alium perficere in dicendo? Poteris facillime, si primo exercitium periodorum apprehendas; postea breves oratiunculas, sumpta e singulis fontibus ordinatim inventionem, iuxta potiores argumentationis formas ad modum in corollario praescriptum easdem disponendo, pertractes. Tandem progymnasma tu in cursum tenebis, universum tuis praxibus illustrando; tum deinde grandiore solidae Orationis laborem, servata, quae in appendice habetur, norma, assumes, tria per genera causarum exspatiando. Sic te, vel tuum discipulum, biennio plane occupaveris.

Praeii, quam doceo, nam et tyronem eloquentiae et oratorem scholastico-civilem hac ratione teneo efformatum. Ceterum hanc, pro mea genuina, edicionem agnosces et quo possim citra ipsam REG(inam) tibi sistere, Datum Optimum Maximum exorare contendes.

P A R S I.

De Progymnasmatibus Eloquentiae.

P r a e l u d i u m.

1. PROGYMNASMA, alias PRAEEXERCITAMENTUM, nihil aliud est, quam breve exercitium styli ante perfectam orationem temptandum.

2. Habet autem locos, e quibus etiam perfectae orationis argumenta desumuntur. Unde merito Aphthonius progymnasmata rhetoricae adiecit, non quod praeceptis constent rhetoricis, sed quod fusius tractandae orationi praemittantur et genera cum arte dicendi communia habeant.

3. Tam sunt necessaria tyronibus eloquentiae progymnasmata, quam neomilitibus privatae velitationes et nautis exercitium flumina prius quam maria navigandi. Quapropter laude illi sunt eloquentiae Magistri dignissimi, qui suos discipulos progymnasmatibus occupant, antequam perfectae dicendi artem illis enucleant.

4. Porro usitata scholis progymnasmata sunt. Quinque generis deliberativi: fabula, narratio, chria, sententia, thesis. Totidem iudicialis: confirmatio, confutatio, conciliatio, locus communis, legislatio. Et exortativi iidem: laus, vituperatio, imitatio, comparatio, descriptio.

NUMERUS I.

De progymnasmatibus generis deliberativi.

C a p u t I.

De Fabula.

1. FABULA est sermo falsus veritatem effingens. Dicitur sermo falsus, quod nunquam illud re ipsa eveniat, quod fabula introducitur. Dicitur veritatem effingens, quod ex fictis fabularum narrationibus verus exprimitur sensus et vera affabulatio eliciatur.

2. Triplex est fabula. Rationalis, qua finguntur homines aliquid operari; talis est praeter alias illa apud Ovidium de Phaetonte, qui exortis a patre sole equis uti nesciens, lapsus e caelo totum orbem incendit. Moralis qua animalia, ratione carentia, humani aliquid imitantia moris, introducuntur; tales apud Aesopum sunt plurimae. Mixta, quae ex duabus superioribus conflantur; cum nimirum bruta cum hominibus colloquantur; talis exemplum vide paulo inferius.

3. Differt fabula ab apologo, quod in apologo res mutae simul ac inanimatae, (ut sunt arbores, saxa, montes et similia) animantur; in fabula non nisi animata habeant locum.

4. Tractatur fabula duobus modis. Prolixe, tractatur novem locis: 1. a laude authoris seu inventoris fabulae, qui est instar exordii; 2. a praefabulatione, qua intentum authoris demonstratur et est veluti propositio; 3. a natura animantium, sive rerum in fabula contentarum; 4. a sermocinatione mutua earundem; 5. a collatione fabulae cum alia sibi simili; 6. a re aliqua cum fabula quandam paritatem habente; 7. ab autoritate aliqua, seu

tēstimonio sapientis viri; 8. ab exemplo morali ex aliqua historia petito; 9. locus est epilogus, quam communi vocabulo affabulationem nominamus.

Presse tractatur fabula duobus potissimum locis: 1. narratione, quae totam fictionem comprehendat; 2. affabulatione, quae doctrinam aliquam moralem ex fabula illatam, sive veritatem ex fictione deductam complectatur. Cuius brevioris modi sit hoc exemplum.

P r a x i s .

Fabula mixta de equo, cervo et homine.

Quonam modo equus hominis in potestatem venerit, iuvat referre nec non iuvabit audire. Indomitum antea efferumque animal equus in campis Thessalicis longe uberrimis pascebatur, cum cervus pinguissimorum pascuorum dulcedine illectus, huic se adiunxit socium. Sed non laeta fronte alter importunum convivam excipit, repenteque nititur fugare. Quid cervus? altior insurgens cornibus horrendum equo interitum, ni sibi communia pascula sinat esse, minatur. Quamobrem territus hic, imparem se viribus sentiens (leoninum robur fuit cervis) forteque illac prope iter facientem hominem Thessalum conspicatus, eum mitis accedit, utque malum vicinum, immo hostem, pellat e campis atque humiliet elatum cornibus, non sine demissione precatur, quin etiam celerioris gratia cursus ad insequendum cervum se frenari, tractari, insideri mansuetissimus permittit.

Quid plura? Vir ille blande solatus equum, simul cervum iam eques fugat, simul domum, vectore novo subditoque gaudens, revertitur, nec amplius unquam mancipato quadrupedi frena deponit. Hinniit igitur et quasi ingemuit miser captivus, se tam fatuum fuisse dolens, ut mallet dominum habere, quam convivam pati; libertatem perdere, quam pascula; immo amissum esse utrumque.

Scitisne mentem fabulae? Docet haec: prudenter esse patrocinium implorandum, ne cum clientes fieri petimus, fiamus servi et non aliter quam mancipia, liberi quondam, tractemur.

P r a x i s II.

Eadem fabula fusius dilatata.

Non est mei propositi, cum vobis ex sapientissimo prorsus dissertissimoque viro non inutilem fabulam recitare aggredior, eundem laudibus adornare, A.(mici) O.(ptimi). Quamvis enim ad sidera mereatur efferri, tamen ipse sapientia facundiaque sua tantum sibi gloriae apud posteros comparavit, quantum ipsi nullius hominis ingenium tametsi liberalissimum posset attribuere. Nam quidquid sub eleganti fictarum historiarum cortina documentorum mortalibus reliquit, istud eiusmodi est, quod divinum quendam hominem fuisse Aesopum testetur. Facile hoc, A.O., agnoscetis, postquam ex me percipietis, quam iucundae persuadere voluit nobis ipse, ut caute prudenterque libertatem quisque suam conservare studeat, ne, cum patronos eius quaerit, reperiat invasores. Hoc enim Aesopus equo infeliciter contigisse retulit adversus cervum, commensalem suum, hominis opem temere rimium exambienti.

Libertate olim summi gaudebat equus, nec domari vi potuisset ulla, nisi frenum semel incautus admisisset. Natura enim aequae fortis ac velox, ne-

que capi fugiens potuit, neque captus ullis viribus teneri. Sic robori pedibusque fidens prata quaeque sui solius esse censebat dominumque campi se unicum iactabat. Accidit tamen, ut superbum animal a cornuto despiceretur. Cervus enim, sylvarum accola, equum de colle eminentiori conspiciens in amoenissima planitiae ubertate pascuorum exsultantem, repente se huc demittit, ratus, gratum ei se futurum sodalem, quem et praevalido corporis nisu aequaret et cursus admirabili pernecitate superaret. Sin minus humanum reperisset, pugna se obtenturum sperabat, quod civilitate non posset, armatum praecutis ramis verticem iam attollens. Neque secus evenisse probatum est. Sonipes namque, monstrosum hospitem in sua gleba torvo intuitu salutans: "Tu vero unde mihi(aiebat) tam importunus mearum dapum invasor advolasti, Harpyiane cornuta es, num quid simile? non quantocius hinc te proripis? aut ego tibi dentes hanc ungula comminuum".

Risit furias cornutus hospes et: "Itane (comiter inquiens), frater, advenam tractas? Aliam ego urbanitatem mihi pollicebar apud te, quem non sylvanum esse cognovi. Ades dum, vicinum nemus mecum pete et ego universa tibi haereditate mea cedam ita, ut nihil tecum non habeam commune". Vix tulit alter paucula haec finiētem, sed furore percitus in adversum ruit pedibus resistentem conculcaturus. At cervus, imminentis periculi praevidens, opponit erecta cornua, semperque latus hostile assilit, ut sit ab unguibus tutus. Pugnatur, concurritur in orbem oblique, assultim, directe; horaque prope integra aequo certamine extrahitur.

Thessalus interea vir superveniens diremit quidem pugnam, sed non iras. Nam equus, victoriae appetens: "Heus, inquit, bone viator, hunc meum hostem aut penitus trucidam, aut saltem fuga; et ego tibi tergus meum nunc libens substerno, prati etiam huius dimidium tuis usibus commodaturus". Laetus occasione Sonipedis occupandi, Thessalus omnia huic liberalissime promittit, modo frenos admittat, quibus facile regi in subiugando praeferoci adversario queat. Quid plura? convenitur, patitur sessorem equus, ne convivam patiatur; sed fugato demum cervo se captum sensit. Hunc in modum temeritate perdita libertas et cupiditate vindictae servitus admissa.

Non absimilis columbae casus, quae fugiens accipitrem, coquo se capiendam permisit, quasi suavior esset certissima inter cultros caedes, quam inter unguibus adhuc dubia. Incidit in Scillam cupiens vitare Charybdim. Plurimi, patrocina quarendo, iugum imprudenter induerunt aut hoc leve exoutere volentes gravissimo sunt oppressi. Ita Graeci Macedonica sceptrum non ferentes, Romanos fasces admiserunt. Ita Orientis Imperatores ex Turcis auxiliariis hostes nacti sunt. Ita Regum Hungariae domicilium a Solimano occupatum. Quapropter sapientissime sapientissimus Mythologus equi temeritatem hominibus docuit esse fugiendam, ne defensores quarendo tyrannos inveniant. Convertit saepius occasio patronos in dominos, in mancipia clientes.

A p o l o g ū s .

De quercu et arundine ex Gymn.pat. eloquentissimi.
Drexelii c.I.

Quercus olim, sed saucia et fracta, cum arundine familiaris coepit fabulari. Initium colloquii quercus a clade propria traxit. Fortunae scilicet malignitas et casus adversi quercum fecere disertam. "Me, aiebat, aspice, o mea vicina! et calamitatis cernes speculum. Vix ego mei dimidium retinui; adsto convulsa, misereque lacerata; sic Aeoli fratres me tractarunt.

Sed, obsecro, quid prius mirer? Tene tam salvam, an me sic aegram? Tu mihi viribus, o arundo, nequaquam par es. Ipsi oculi dicunt me millies robustiorem esse, quam sint vel centum, vel mille arundines. Nihilominus cum venti ac turbines me incursant, nullae sunt vires meae; convellor, laceror, frangor, deicior. Tu vero ventorum vim omnem eludis; vacuo ventre pugnas et nunquam non vincis; triumphas sola. Nos Aiaces vincimur; qui demum hoc fieri dicam?" Arundo, silere docta, nihil interpellans loquentem, vix demum sic orsa.

"Non est, inquit, quod mireris o mea optima vicina! Tuum tibi robur exitio est. Si minus esses robusta, magis fores integra et sana. Pace tua dixerim: Tu robori tuo fidis, vento resistis atque ita vinceris. Adversarium habes, qui cedere nesciat; illum hostiles vires animant; robur ei additur, quoties cum robustissimis congreditur; tantoque certior habet victoriam, quanto difficiliorem pugnam. Hinc ventus vel altissimas, vel densissimas quercus disicit, ridetque insaniam frustra resistentium. Ego, fragilitatis meae non ignata, cedo et vel uno die sescenties ventum veneror prono corporis flexu, nec mihi grave est, ut vitam tuear, vel millies adorare tam potentem hostem. Proinde hic non viribus agendum est, sed dexteritate. Ita prorsus est: Intutae sunt vires, cum consilium deest aut dexteritas. Calamitatis ventus neminem non incursat, nemini parcat, probos improbos iuxta habet. Et quis est, qui nihil adversi sentiat? Sed multi adversis erudiuntur et attolluntur caelo; non pauci franguntur et deiciuntur Erebo. In eo res vertitur, non quantum adversi sentiamus, sed quomodo id perferamus.

Nota. Apologum fusius iisdem fere locis, quibus fabulam, tractari.

C a p u t II: De Narratione.

1. NARRATIO est rei factae, vel tamquam factae expositio. Dicitur rei factae ad ostendendam narrationem historicam, quae vetustam rerum commemorationem continet atque veterum gesta vere narrat, tum ad includendam narrationem civilem, qua in controversiis oratores utuntur, ut causas melius exponant. Dicitur vel tanquam factae, ut verisimilis et poetica narratio tangatur, qua est expositio rei fictae, spectata natura et officio poeseos, ligatis numeris expressa. Cum vero veras narrationes, quae sunt non paucae, apud poetas reperies, tum eos historicorum munere functos esse iudicabis.

2. Narratio his locis sex tractatur. 1. Persona faciens cum brevi laude vel vituperatione demonstratur. 2. Res gesta distincte, clare, apte que exponitur. 3. Tempus, quo fuit facta, certum aut verisimile declaratur. 4. Locus, in quo est gesta, describitur. 5. Modus, quo facta, affertur. 6. Causa, propter quam sit patrata, ostenditur.

3. Notare tamen potes ad hos locos adhibendum quandoque esse brevem accessum per modum exordii et brevem iisdem subiciendum epilogum per modum perorationis, sive hic epilogus adhortationem, sive dehortationem, vel quispian simile contineat.

4. Nota 2. Non omnes hasce semper locos in narratione exponi, neque hoc prorsus, quo hic recensiti sunt, ordine locari, sed mixtos aliquando invicem sibi, uti res ipsa et rei demonstrandae brevitatis atque perspicuitatis expostulat.

P r a x i s .

Narratur factum Nicaetae Juvenis Aegyptii,
qui, lingua praecisa, dentibus
castitatem defendit.
Drex. in Nic. l. I. c. I.

Iactat priscum aevum sui Anaxarchi libertatem, qui in vinculis tortus, linguam dentibus praecisam in tyranni os exspuit. Ne, superbe Anaxarche, viros ego tecum, vel cum Mucio, aut Aquilio, aut Regulo comparem? Pueri et mulierculae nostrae vobis saepe non pares tantum, sed superiores longe et vel in arctissimis vinculis liberiores sunt. Satis id ostendit Aegyptius ille iuvenis Nicaetas, cuius plusquam heroicam libertatem nemo satis, non dicam, laudet, sed nec miretur satis.

Felicem te dicat Rex Macedo, o Achille! qui virtutis tuae praeconem nactus es Homerum. Idem ego, de hoc iuvene verius: "Felicem te, Nicaeta, qui virtutis tuae panegiristen nactus es Hieronymum. Et videre mihi obsecro, inter quot et quam insidiosas catenas libertatem suam sit professus castissimus" Achilles noster, cui longe periculosior scaena fuit instructa, quam socio. Lectus erat supra omnem Sardanapali plumam et Heliogabali olorinam culcitam mollis et delicatus; in hunc obiectus iuvenis non ferreis, sed bombycinis vinculis ligebatur. Iam actum esse dixisses de retinenda pudicitia inter tot insidias. Circumcirca voluptas sua invitamenta disponebat, quibus pudica mens suae castitatis propositum vix potuit non vendere. Stabant soliorum ordine renidentes arbores, quae cum hilari odore gratas diffundebant umbras et clementi brachiorum motu dulces susurros obsibilabant. Has inter loquax rivulus et omni crystallo nitidior errantibus laudebat aquis et querulo rore lapillos vexabat; unde paene musico concentu pulsabatur. Utrisque flores et copiosa Zephyri familia. Hinc e viridi prato argentea ridebant lilia; illinc purpurascens rosae promicabant; isthinc narcissorum nivem et ebur, hyacinthorum sanguis et aurum acuebat; ventulus ab omni parte placidissimus aspirabat.

Heu! quid facies christiana libertas? undique ad voluptatem invitatis: in tot florum lascivia, in tanta odoris frangrantia et invitatrici huic voluptati resistes? et quomodo tot pedicas abrumpes? En arreptit etiam petulanti vultu femina, quae tot in te iaciet tela, quot verba, et, ut basiliscus, solis oculis necabit. Heu! miserande iuvenis! quomodo ab hac te viperam servabis illaesum! Nulli unquam sua magis captiva fuit libertas, quam tibi. Oculos aperis? a forma tibi laqueus est; hos claudis? aures patent, per quas Veneris satis instilletur. Sed neque manus pugnis, aut pedes calcibus castitati tuae succurrere queunt. Ah! amissa videtur integritas et expugnatum tot machinis pudicum pectus! Credibilius videtur Romanum parricidam in culleum cum cane serpente, gallo gallinaceo et simia insitum a vulnere servari posse innoxium, quam te, o iuvenis miserande, a libidinis peste immunem. Quidquid agas, constrictus teneris, nec patet vel spes evadendi ulla. Lascivius Cupido ab omni parte tibi imminet atque iam iam, quod in te venenavit telum, emittet.

At, at, ante victoriam triumphum cecenit Venus. Reperit consilium christianus hic athletes in lethali hac arena. Invenit sibi viam, qua victrix castitas hostem triumphavit. Nam dum sic undique oppressus iuvenis vicinissimum periculum contuetur, "Quin, ait ipse secum exurgis laese pudor et quibuscunque potes armis te ipsum defendis? Sola lingua vinculum non sentit; recte est: lingua mihi telum erit; malo esse mutus, quam parum castus." Dixit et

generosissimo vulnere mediam sibi linguam praemordit et in frontem lupae, quae fronte caruit, sanguinolentam ei aculatus est. O Nicaeta ! O macte virtutis et animi Iuvenis ! qui tot ex orco compedes rupisti et virginei pudoris libertatem in tutum asseruisti, fauce pro pharetra, lingua pro sagitta fortissime usus.

C A P U T . III.

De Chria.

1. Chria est progymnasma, quo alicuius personae factum, vel dictum, vel utrumque humanae utilitatis vel informationis causa celebratur.

2. Triplex est, ut ex definitione apparet. Verbalis, qua alicuius gravissimum sapientissimumque dictum, ad nostram instructionem pertinens, non refertur narrando, sed attollitur explicando. Activa, qua facinus cuiuspiam egregium imitationis, laudis et instructionis gratia commendatur. Mixta, qua utrumque tam dictum, quam factum, ob eandem celebrationis ac aemulationis causam exponitur.

3. Tractatur chria octo locis 1. Exordium, in quo author dicti aut facti aut utriusque variis encomiis adornatur. 2. Expositio, in qua dicentis, facientis vel utrumque praestantis intentio deprehensa, fructuose declaratur. 3. Causa, in qua rationes declaratae intentionis nervosae, fortes, invictaeque duae aut plures afferuntur. 4. Contrarium, in quo multa incommoda, mala, damnaque inculcantur, quae ex neglecta dicti, facti seu utriusque doctrina promanare solent; omniaque huc, causae opposita, adducenda sunt. 5. Simile, quo dictum, res aut utrumque propositum, allata similitudine ex aliquo non vulgari fonte deducta, illustratur. 6. Exemplum, quod fidem expositi confirmat. Non raro pervenuste pluribus exemplis quaecumque chria roboratur et ornatur. 7. Testimonium, quod est alicuius theologi, philosophi, oratoris, historici sive cuiuscunque viri docti et prudentis sapiens effatum, a re, quam chria celebramus, minime abluens. Subeunt quandoque occupantque tam exempli, quam testimonii locum hieroglyphica, fabulae, apophthegmata, ritus, leges, oracula et similia. 8. Epilogus, in quo, collaudato breviter dicti aut facti, aut utriusque authoris, haec etiam ipsa laudantur et imitanda esse, si bona sunt, fugienda, si mala, asseruntur.

P r a x i s I.

Chria hac laudatur Aeneae pietas erga patrem, quem propriis humeris ex Troiano incendio deportavit.

Etsi Troianus ille Aeneas, Auditores, improbis multorum dentibus proscindatur multisque maculis ignominiae aspergatur, quasi proditor infamis Patriae, tamen meo principisque latinorum poetarum iudicio fama usque ad sidera notus fuisse verissime perhibetur. Qui enim superiorum hominem illum non amaverint, non immortalitate donarint, non numero suo ascripserint; qui per tot marium terrarumque spatia, per inaudita sala, soloque instructa sibi pericula fatorum vocem secutus, patrios deos, lares, penatesque ex Patriae ruina ereptos ad fatalem regionem deportavit? Quis illum virum ex mortalibus univ^{er}sis perenni dignum laude non affirmet; qui urbis, totius orbis dominae, qui populi, omnium gentium imperantis, auctor fuerit? Talem fuisse Aeneam, heroem fortissimum, cum poetarum tum historic^{orum} monumenta memoriae tradiderunt. At

nihil egō, Auditores, in illo aequè miror atque erga patre suum, Anchisen, pietatem. Quem ille, metropoli totius Asiae, Trdana urbe, hostili incendio conflagrante, e mediis flammaram globis propriis umeris sublatum in tutum deportavit.

Quo, pietissimi Filii, praeclarissimo facinore docemur universi maximam a nobis parentibus nostris pietatem, maximam reverentiam, summumque amorem deberi. Ac istud quidem iure merito facturi sumus. Etenim si legislator supremus ille noster, Deus, eodem sane amore nos proximum prosequi iussit, quo ipsimet erga nos incalescimus, quanto maior hic parentibus est praestandus, quibus nihil propius, nihil propinquius, nihil acceptius, nihil amabilius nobis habendum est? Pietatem istud quoque Numen inimicis etiam denegandam non esse atque adeo exemplo suo nos docuit, quantam progenitoribus a nobis declarandam esse censuit, voluit, iudicavit.

Denique, ne latius divager, una illa fortis, zelatrix natura nonne assidue stimulat filios, ut pii suos in parentes existant? Ex quo profecto non inepte quisquis colligat, omnium calculis omnibus esse dignissimos cruciatibus eos, qui virtute pietatis in parentes abutuntur. Quid enim illis fuerit ingratius? quid nequius? quid scelestius? qui se morosos, ne dicam impios, tetricos, ne appellem crudeles, erga genitores amantissimos gerunt? Videmus ratione destituta animantes pietate nunquam destitui; quin immo res mutas pietatem tacite loqui stupemus. Ciconiae ipsae vitae memores acceptae, non-ne suis alis qua opus est subvehunt? stramen ipsum prae oculis est, quod ex terra ducens originem quandam, aut aliquam saltem substantiae partem, quasi beneficii tantae matris memor, ubi in fimum fuerit redactum nonne terram faecundat?

Equis natorum natarumque ciconiis minus pius, fimo deterior sordiorque velit esse, si eos debito amore, pietate, venerationeque non colat, si eis continua non praestet obsequia, si opportunam non ferat opem illis, a quibus se ortum vitamque accepisse non ignorat? Beatissimi procul dubio hac ex parte illi duo iuvenes fuere, quos Iosephus, pereruditus Iudaicarum rerum scriptor memorat, horrendi illius et ab aeterna Veritate praedicti Hierosolymorum excidii tempore suis a parentibus flamma in Salomoneo illo, quaevis miracula excedente Templo circumactis, rogatos aquam ad puteum penetrasse eaque hausta in cassum caesareo prohibente milite rursus ad inflammamam Templi machinam avolasse, quamvis sese viderent igni devorandos.

O dignam perenni memoria immo vita indolem! quae parentum, insito a natura, flagrans ardore, prodigiosum undique grassantium flammaram ardorem generose penitus ac pie contempsit. Nimirum callebat optime atque tenacissime servasse contendit felix istud iuvenum heroum par Divinum illud mandatum, omnem parentibus amorem nostris, omnem reverentiam, omnem cultum, omne denique obsequium praecipiens exhiberi. Licet forsitan philosophorum antesignani documentum ignorasset asserentis: Nullum repari posse tantum gratiarum et officiorum genus, quanto effusa a parentibus in filios beneficia vel minima compensentur et refundantur. Itaque vigentissimo nunquam moriturae laudis serto Eneas ille pientissimus, Auditores, coronandus est, qui vero et genuino filiali amore succensus patrem senio confectum e Patriae incendio suis brachiis extulit; meretur etiam hoc ut rarissimum, ita praeclarissimum facinus cum summam admirationem, tum gloriosissimam imitationem. At vos, quibus dura frigidaque glacies barbari odii filialem in parentes amorem extinxit, quod meremini?

Praxis II.

Exponitur vox illa Ecclesiae usitatissima:
"Amen".

Si magnam veteres Ethnici laudem eo nomine merentur, Auditores, quod multa ad placandos, colendos, celebrandosque suos deos invenerint, maximis certe orthodoxa Ecclesia praeconiis ob id efferenda est, quod vel ad flec-tendum veri Numinis animum, vel ad eius laudes occinendas plurimus ordina-verit hymnos et orationes. Quod tanta industria tantoque iudicio praestitit, ut non solum diebus singulis, sed etiam horis ac momentis certos qua rogan-di, qua laudandi Dei modos observandos alumnis suis tradiderit. Sed nihil aequae laudabile ac fructuosum poterat invenisse, quam vocem illam unicam omnium orationum fini accommodatam "Amen". Cum enim hanc diligentius expendo, nihil aliud significare adverto, quam "Fiat", ut penitus idem sit istud di-cere, quod illud. Iam vero quis caelesti luce clarius non videat, hac voce "Fiat" vehementissime Deo supplicantium desideria explicari, eamque tantum omnino calorem orationi ingerere, quantum humano corpori sanguis ingenerat. Ardētissima profecto debet esse precatio, cui subiciuntur hi igniti carbo-nes. Fiat, Amen. Contrarium fieri videmus, ubi flammigeras hasce voces non audimus. Frigescent omnia quippe vota, quae ferventibus desideriorum fomen-tis non foventur; carent autem his omnino, si vocibus "Amen" aut "Fiat" ca-ruerint, quae flagrantibus desideriis ignis instar sunt. Quod sagittis pen-nae, hoc vox "Fiat" vel "Amen" est orationibus. Pennata illa tela volant altius, nuda serpunt humi, neque metam ullatenus attingunt. Deme affixas orationi pennas, voces "Amen", "Fiat", pro certo sidera non ascendet, cor Divinum non penetrabit et ad scopum, quo collimas, non perveniet. Optime demonstravit aeternus ille rerum Conditor, quanti vox haec sit momenti, quantae aestimationis, quanti sit valoris, cum per illam totum, quod cer-nimus, universum constituit. Dixit Deus: "Fiat firmamentum in medio aquarum et dividat aquas ab aquis", et factum est.

Quis, deinde, caelo Dei Filium detraxit et intemeratae Virginis in uterum attraxit? Certe nihil aliud quam vox "Fiat". Doctoris testimo-nio rem comprobo dicentis: "Sicut post illa verba "Hoc est Corpus meum" ponitur Christus statim sub speciebus Sacramentalibus, ita post illa verba: "Ecce ancilla Domini, Fiat mihi secundum Verbum tuum" positus fuit Christus et formatus in utero." Recentius etiam, si placet, exemplum non deest. A Valente, Constantinopoleos Imperatore, templum prae moenibus Urbis ex-structum Arianæ sectae homines qua vi, quae praecibus extorquebant. Opposuit se improbis horum conatibus Basilius ille, vel hoc solo nomine Magnus, de-cretumque eiusmodi obtinuit, ut illius religionis cederet alumnis templum, ad quorum preces sponte fuisset apertum. Ergo tribus paenediebus ab haereti-cis ieiunatur, oratur, clamatur; at in cassum: omnia verba super validos abierunt irrita ventos. Successerunt demum ferventiores preces orthodoxo-rum, successit vox illa fortissima "Fiat" et mox loco moti cardines, ruptae serae verbo, non manu, auditum populo fideli intra templum praebuerunt. Superi, quanta vocis huius vis! quanta potentia! quod robur! cardinas movet, seras rumpit, portas aperit! Malleis quibusdam feriendam esse cae-lestem ianuam Veritas admonens: "Pulsate, inquit, et aperitur vobis".

Quibusnam, Auditores, malleis pulsabimus? num aliis quam voce "Fiat", voce "Amen". Atqui hi mallei fortissimi caeloque aperiendo sunt accommoda-tissimi. Quod cum ita sit merito nobis orthodoxa Ecclesia nostra celebranda

est, quae nos vocibus his unam quamlibet orationem terminare docuit, merito quoque voces hae nunquam vel ex negligentia, vel ex contemptu quarumvis in fine orationum sunt omittendae. Sed veluti aptissimae ad tangendum pectus divinum sagittae, velut convenientissimi reserandis caeli postibus mallei, semper adhibendae. Optime, simul et efficacissime orat, qui orationi adiungit "Amen".

P r a x i s III.

Scillurus Scythia ad concordiam filios hortatur.

Vehementer admirari soleo, Amici Optimi, Graecos atque Latinos veteres; postquam apud Aegyptios deficere inceperat, ita sibi propriam sapientiam fecisse, ut caeterae nationes et barbarae et rudes ab eis haberentur, illi vero soli supra mortales universos maxime sibi sapere viderentur. Quae enim terrae pars tam incultis populis fuit unquam insessa, qui Dei beneficio omnium gentium rationem habentis, sapientissimis viris non fuissent cumulati? Scythiam ingrediamur unicam, quae stoliditatis parens esse putabatur semper; an in ea praeter alios plurimos uni Scilluro principi tantum affuisse boni consilii ac sapientiae non concedemus, quanta in sapientissimo quolibet Romanorum aut Graecorum potuisset eximie celebrari? Assumite vobis hodie iudicum partes, Amici Optimi, et ubi rem plane a me expositam intellexeritis, tum sententiam adversus Scythicam barbariam liberrime proferetis.

Erant octoginta liberi Scilluro, omnis mascula progenies. Dixisses exercitum, si familiam cuique suam conspexisses adistere. Hos ille, mutaturus cum morte vitam, postquam ad se venire iussit, amabili vultu intuens, fasciolum iaculorum unicuique porrexit, ut frangerent innuendo. Cum negare omnes cepissent, posse id vel Herculeae manu praestari, eximens ipse singula iaculorum, facile omnia licet exsangui iam dextera confregit ac interea gravi sermone ad animorum unionem cohortans omnes: "Si concordēs, aiebat, eritis, validissimos vos ac invictos fore credite; sin autem mutuis dissidiis ac seditionibus in diversa trahimini, id vobis evenitum, quod me iaculis vidistis dubio procul expectare."

O rem minime barbaram! O sapientiam Rege dignam! O consilium paternum penitus et saluberrimum! Quid optare melius, quid suadere salubrius poterat, quam ut potentia sua terrori essent hostibus, sibi saluti et incremento? Quid vero ad potentiam firmandam potuit iisdem aptius ostendere, quam ut concordēs essent? Id vero qua ratione? nempe ea, ut neque vivendi consuetudine, neque iudicio sentiendi, neque modo agendi, neque aliquid habendi ac dispensandi facultate invicem discreparent. Ubi vigere potest insignior concordia, quam inter eos, qui eandem religionem profitentur omnes, eadem virtutum exercitia frequentant, pares sibi moribus, pares cultu corporis et animi, pares votis, pares consiliis, pares omnium actionum suarum sunt scopo? qui amicos et inimicos eosdem habent? qui possessiones, copias, fortunasque suas omnes in communem usum conferunt et convertunt? qui denique nec bonis, nisi mutuo secum, gaudere volunt, nec mala absque eadem coniunctione pati?

Talem concordiam optabat ac suadebat Scillurus filiis, quo potentiores forent, validiores et invictissimi. Scimus enim non solum sapientissimo

Poeta docente, sed multo magis experientia, meliore magistra, comprobante, unitam virtutem esse fortiorem. Scimus robustiorem esse digitum, in quem vis omnis corporis defluxit, quam totum hominem. Unde quidam ex manu compressis nucibus oleum leguntur expressisse, quidam fortissimos funes rupisse, quidam ferreas soleas discerpisse, cum robur omne in manibus haberent, ceteroqui debilissimi. Tantum possunt unitae vires corporis, quantum convenientes animi? Nihil illis impervium, nihil inexpugnabile, nihil arduum, nihil durum. Quaecunque volunt, aggrediuntur; quaecunque aggrediuntur, conficiunt; nam sic incipiunt, ut ab incepto non resiliunt; sic finiunt, ut inceperunt non paeniteat. O fortes animae! quibus est mens una, voluntas una, quis a vobis non superatus erit? Date vero mihi vel Imperium amplissimum, vel Rempublicam potentissimam at dissidentem, vel Urbem munitissimam, at discrepantem; vel coetum quorumcunque hominum celeberrimum et sanctissimum at dissentientem, et huius cum celebritate sanctitatis opinio per dissensiones obscurabitur, et Urbis illius per tumultus civium fortitudo expugnabitur et Reipublicae incolarum per dissidia vires enervabuntur et Imperii amplitudo per discordiam populorum aut imminuetur aut extinguetur.

Quid fuit Numantinis invictius? Quatuordecim totos annos Romanam imo orbis potentiam non sustinuerunt modo illi, sed etiam repulerunt et quandoque perfregerunt ac dissiparunt, nisi rectius cum historico dicam, perculerunt ac turpissimis foederibus affecerunt. Ad extremum tamen et cum provinciis et cum Urba sua interiere miserrime hoc solum felices, quod uno eodemque simul incendio cum opibus fortunisque suis, gloria ac dignitate absumi voluerint. Vultis autem verissimam interitus eorum causam habere explanatam? Scipio vobis, tam fortissimae Reipublicae et Urbis eversor (nam ex Tyresio, celtico principe didicit) potest edisserere. Hunc enim cum is rogasset, qua de causa Numantia, aut prius invicta, aut post eversa fuisset? id responsi a prudentissimo homine accepit: Concordia victoriam, discordia exitum praebuit. Nempe sicut lapis, quem Tyrrhenum naturae interpretis vocat, quamvis grandis, modo sit integer, aquis innatat, comminutus sidit et immergitur, ita vires unitae triumphant, distractae vincuntur et succumbunt. Hoc as Scilluri mentem considerasse videtur Mycipsa, Numidarum rex, quandoquidem supremum vale dicturus filiis, cum eos ad consensionem voluntatum hortaretur, illud sureum (quod nobilissimus Scriptos excepit calamo suo) postremo oraculum edidit: Concordia res parvae crescunt, discordia autem maximae dilabuntur.

O vocem! quam servasse plurimum adjuvit infinitos, quam infinitos paenituit contempsisse. Vos ne paeniteat, A.O., totis in id viribus incumbite, ut coniunctionem, quibuscum potestis ac debetis, quam artissime perpetuam, tenentis, concordiamque humanas inter virtutes maximam ac utilissimam maximi faciatis. Dixi.

C A P U T IV.

De Sententia.

1. SENTENTIA est alicuius sapientis effatum, quod exhortationis aut dehortationis gratia brevi oratione per certos locos explicatur.

2. Sententia dividitur in simplicem, compositam, hortantem, dehortantem, enunciativam, probabilem, veram, superlatam.

3. Simplex est, quae unicum effatum, indivisum, unitumque comprehendit, ut: Avarus non implebitur pecunia. Eccl. (V, 9).

4. Composita est, quae ex duabus sententiis, quarum singulae suum habent sensum, coalescit; talis est haec allegorica Curtii 16: Nobilis equus umbra quoque virgae regitur; ignavus ne calcari quidem concitari potest.

5. Hortans est, qua aliquis ad bonum excitatur. Horatius: Rebus adversis animosus atque fortis appare.

6. Dehortans, qua mortales ab aliquo vitio et malo avocantur. Seneca: Bonus animus nunquam erranti obsequium accommodat.

7. Enunciativa est qua, quo egemus, enunciatur. Seneca: Salutare est non conversari dissimilibus et diversa cupientibus.

8. Probabilis est, quae quidem non absolute et immutabiliter rem affirmat, probabiliter tamen ostendit aliquid fugiendum vel amplectendum. S. Chrysostomus: Licet ieiunando et humi dormiendo corpus maceraveris, nullam autem proximi curam habueris, nihil egregium feceris.

9. Vera est, quae infallibilem veritatem continet docetque et affirmat universaliter aliquid esse vitandum aut amandum. Ut: sperne voluptatem, nocet empta dolore voluptas.

10. Superlata est, qua aliquid fidem excedens continetur, ut: Non exercitus neque thesauri praesidia regni sunt, sed amici. Sall.

11. Tractatur sententia iisdem locis, quibus chria, excepto exordio, in quo frequentius ipsum effatum, quam effati author, laudatur.

P r a x i s .

Immortalem laudem meretur, quisquis tandem ille fuerit, qui omnia posse et omnino debellari auri potentia sentiens: "Quid non, inquit, corrumpitur auro?" Quo clarissimo et plane aureo effato admonere nos voluit et penitus erudire, ut a pestifera caduci auri cupidate animum nostrum abstrahamus. Etenim non tam cito stricto ferro subiugamur et de virtutis tramite depellimur, quam aureo telorum genere. Quapropter nihil aequae Reipublicae atque aurum nocere solet, cum desideratur. Nam fuerint illi saevientissimi, fortissimi, celebratissimique, quorum curae est tradita communis Patriae salus et gubernatio; si forte oculos, animum potius, ab auro non averterint, infasciabantur, et expugnabantur, et suae ruinae ruinam adiungent Reipublicae. Quippe quem nitor auri non oblectet? quem praetium non pervertat? quem robur non triumphet? Contra, animus, ab huius vani metalli alienus libidine neque, ut quidam canit, auri sacra fame laborans, non solum seipsum feliciter dirigit, sed etiam Urbes, Nationes, Provincias, Regna, Imperia felicissime regere potest. Non enim verendum est, ut illius potentiam aurum evincat, frangat constantiam, iustitiae vigorem enervet, sapientiae lumen obscuret, virtutem eripiat vel obnubilet.

Iam vero quorum avaritia animos depopulatur, ii videntur nautis non absimillimi, qui Sirenum blandis concentibus aures accommodando, non modo seipsos, verum etiam, qua vehantur, navim perdunt. Sic isti, quos auri cupiditas demulcet, una secum integras republicas trahunt in praecipitium. Proinde sapientissimi Alexandri, a rebus gestis Magni, Parens dicebat:

Nullam esse arcem inexpugnabilem, in quam aureus aëinus introduci possit. Qua arte olim in expugnandis Romanis, licet irritò, valido tamen usus conatu Pyrrhus Epirotarum Rex inclaruit, qui Romanum Fabricium, sola virtute divitem, tot regis muneribus corrumpere et in uno Fabricio totam Rempublicam evertere laborabat. Scilicet sapientissimi et invictissimi Philippi dictum Pyrrhus hic observabat; hinc quos infinito prope non poterat exercitu superare, aureis illaqueatos vāferrime technis capere satagebat. Quod stratagema illi quidem non successit, at succedebat aliis, cum talès post Fabricium consules ac senatores passim habebat Roma, qui venalem eām fecerunt. Quam recte Lyricus Vates suae forsam considerans Urbis opprobrium, cecinit:

Aurum per medios irae satellites
Et perumpere amat castra potentius
Ictu fulmineo.

Quis igitur maximis encomiis virum illum non celebret, qui auro corrumpi omnia sentiens, omnium animos edicto suo clarissimo ab istius cupiditate voluit avellere? quis non etiam hanc illius auream sententiam non solum optima voluntate approbet, sed factis etiam exequatur?

C A P U T. V.

De Thesi.

1. THESIS est alicuius rei investigandae per orationem consideratio vel disquisitio. Oratoribus quaestio dicitur infinita. Est autem quadruplex. 1. Civilis, quae actionem habet Civitati accommodatam. Videlicet: An melius legibus quam moenibus urbes propugnantur? 2. Contemplativa, quae ad solam speculationem pertinet. Ut: An luna sole celerius suum cursum peragit? 3. Moralis, seu politica, quae mores hominum et statum politicum concernit. Ut: An praestantior sit zelus mansuetudine et clementia? An in bello plus valeat fortitudo quam prudentia? An nova tributa, cum subditorum oppressione imposita, sint toleranda? 4. Scholastica, ad quam omnes academicae quaestiones devolvuntur. Ut: Rhetorica ne sit ars bene dicendi? Posteriores duae videntur ad priores posse spectare.

2. Tres sunt theseos partes: 1. Praemium, quod per insinuationem fit aptissimum; quando nimirum per simulationem et circuitum, occulte et inadvertenter in animum auditoris influit oratio et ex directo in narrationem seu enuntiationem, quae confirmetur, tendit. 2. Confirmatio, quae quatuor locis perficitur: legitimo, utili, iusto, possibili. Legitimum est, quidquid seu divinis, seu humanis legibus, aut tabulis, aut communibus, vel specialibus autographis, aut naturae ipsius persuasione, faciendum vel amplectendum esse ostenditur, censetur, iubetur. Utile est, quod aliquem fructum seu commodum, praesertim honestati iunctum, affert, uti gloriam, honorem, pacem animi, sanitatem, ornamentum familiae, Reipublicae, Ecclesiae, regni conservationem vel augmentum, salutem aeternam, nec non similia. Iustum est, quod omnino negligi, vel etiam patrari, salva conscientia non potest; quod aequitati consentaneum est et a quo ceterae virtutes dependent. Possibile est, quod fugitu, vel amplexu non est difficile, maxime vero accedente auxilio naturae, artis, ingenii, roboris, fortunae, amicorum et Divina ope; quodquod licet arduum sit, est tamen gloriosum, si acquiratur labore et constantia, vel respiciatur amore virtutis.

3. Epilogus, qui erit laudabilis, si in eo rem esse apertam, quae cadit in questionem, ostendas et vel abiciendam, si mala, vel retinendam, si bona, persuadeas, sique concludas aut affirmative, aut negative, quod quaeritur, non sine victore mentium motu.

P r a x i s .

An alienum regnum sit ambiendum.

Veneretur illum turpiter universus pseudopoliticorum coetus, qui uni - versa sub sole comprehensa regna turpi ambitione possederit, aliis regibus per vim, fraudes ac dolos erepta. Ego sane neque illum regio cultu nomineque dignum esse iudico, qui vel minimam alieni regni appetendi cogitationem susceperat, quamvis consentientibus calculis in regalem postea thronum sit evectus. Nam quomodo illi sublime nomen sublimemque venerationem deferendam esse putem, qui supremi rerum creatarum suique regis mandatum exosissimae ambitioni in cor aditum permittens, violarit et hoc pacto debitum immortalis Numini honorem subtraxerit ?

Non enim humana, sed Divina lex est, quam non a Solone quopiam vel Lycurgo institutam didicimus, aut ipsimet nobis excogitavimus, verum a Summo Legislatore Deo servandam accepimus, ut nulla aliena bona appetamus; et non tantum regno aliquem, sed ne quidem minima etiam re spoliemus. Quid dicam spoliare, si neque desiderare liceat ? Quae lex etsi ad coercendum alienarum rerum appetitum sufficientissima sit, utpote Divinae mentis conceptu sacra, a Deo nobis servanda proposita, tamen ne politicioribus ultra caelum viris, qui semper caelestia, cum non amant, respuunt, non satisfaciam, politum Romani politico-philosophi monitum obtrudo. Relinque, inquit ille, ambitionem, timentenda res est, vana, ventosa, nullum habens terminum. Sed quis tibi, sapientissimo licet viro, credet, Luci, nullum esse ambitionis terminum dicenti, nisi hoc fortius dictum roboraveris ? Effare, quaeso, ulterius, quod sentis, ne trepida; insatiabilem esse abyssum demonstra ambitionem. Demonstrat eninquit. Nunquam improbae spei, quod datur, satis est; omnia meruisse existimat, nec satis pretio aestimatum putat. Maiora enim cupimus, quo maiora venerint; intentioque concitator est. Ambitio in magnarum opum congestum collocata, ut flammae infinita vis acrior est, quo ex maiore incendio emicuit. O quam sceleratum est in tam voracem abyssum sese praecipitare ! immo per ambitionem insatiabilis fieri abyssus. Quam vero non solum gloriosum, sed etiam utile est aliena non appetere !

Siquidem cum nos ab hac flagitiosissima libidine habendi continemus, accepti multis, carissimi sumus omnibus, amicitiam cum pluribus, pacem colimus cum universis, retinemus, observamus. Contra sit, ubi ambitionis stimulo fuerimus concitati: addamantina etiam tum amoris vincula rumpimus, detestabiles multis reddimur, ^{cives} destituimur amicis, socios amittimus, confederatos non habemus, plures hostes, quam numeramus. Nam quosque foedae cupiditatis aculeis pungentes in nos armamus, cum in honores, bonaque alia eorum, veluti rapacissimae quaedam Harpyiae involamus, ut non immerito Arpinis oriundus Romanae servator Urbis consideratissime dixerit: Pestis maior esse nulla in amicitia potest, quam in quibusdam honoris certamen et gloriae, ex quo inimicitiae maximae saepe inter amicissimos extiterunt. Quem istud non doceant Caesaris Pompeique bella civilia, qui cum non amici, sed consanguinei, non familiares, sed propinqui essent, ambitione stimulati tantum odium erga se conceperant, ut totum penitus orbem pugnaturi secum traxerint ad arma ?

Neque prius ab armis discessum est, quam alter victus, quod superstes negabat, mortuus obtinendum relinqueret imperium; alter victor, quod superstitie aemulo non poterat, extincto invaderet, caperet, possideret.

Quod si iustitiae amator verissimus et cultor eiusdem observantissimus quispiam velit audire ac primo re ipsa esse, iustitiae, inquam, Dei filiae, pacis germanae, mundi gubernatricis, praemiatrix bonorum, malorum punitrix, qua id ratione citius perfectiusque assequi potest, quam si alienas ditones, tetrarchias, regna non concupiscat, non ambiat, invadat, eripiat? Si enim haec regionum ac virtutum simul conservatrix reddere unicuique quod suum est iubet, multo magis exigit, ut non appetamus non nostra, ne postmodum sentiamus in reddendo molestiam gravissimam, cura premamur maxima, turpissimoque pudore suffundamur. Atqui e diverso, testante Tullio, facillime ad res iniustas impellitur, ut quisque est altissimo animo et gloriae cupido, ambitioso.

Sed dicet quispiam: Difficile cognoscitur ambitio, multo difficilius, ubi virtus laxaverit, coercetur; quo ergo pacto animum meum frenare possum, cum honores plurimos, gloriam, titulos, dignitates, regnaque, tametsi haec aliena sint, non inhoneste, prout mea fert opinio, appetit?— O te egregium totius mundi Imperatorem futurum, qui tibi uni fateris te imperare non posse! An ex hoc ipso nondum conicis, ^{nondum} cognoscis, quod animi tui habenas moderandi rationem ignores, viresque tibi ad id faciendum deesse conquararis? At utinam solummodo velis ambitionem deserere, facilius illa quam putas te deseret, cumque suum inimicum advertet, non amplius blandissima domina te conveniet, non elatissima furia ad victorem sui animum tentabit accessum.

Itaque, quod reliquum est. Exue diram regnandi cupidinem, neque totius cum Alexandro orbis imperium ambias, quandoquidem unico dumtaxat tumulo, atque hoc brevissimo, inclusus, pabulum fies vermibus et in cineres vilissimos redigere.

NOTA. Peculiarem esse tractandae theseos rationem per tacitas obiectiones, quae ab oratore nomine adversantium citantur et solvuntur.

NOTA 2. Thesium in utramque partem disputandarum esse frequentissimum usum debere; neque ab hoc genere ludicras quaestiones proscribimus, quales recenter apud Jacobum Masenium plures reperias.

NUMERUS II.

De Progymnasmatis generis iudicialis.

CAPUT I.

De confirmatione.

1. VIDEO a quibusdam confirmationem confutationi postponi et hanc deliberativum genus claudere, illam iudiciale inchoari; sed bona eorum venia alium ego hic ordinem nec immerito conficio et allecta iudiciali generi confutatione huic confirmationem propono. Igitur confirmatio est positae rei approbatio. Per positam rem historiae, sententiae, facta, exempla, opinioniones et similia, quae confirmari possunt, intelligenda.

2. Confirmatio haec tractatur octo locis. 1. Exordium, sive Accessus ad rem, varius fieri potest; praecipuus tamen ex laude facti, dicti,

opinionis et cet. et cuiusque rei confirmandae, sive horum authoris, quae confirmantur, desumitur. 2. Manifestum immediate sequitur accessum, quo res vera minime dubia, et aperta, demonstratur rationibus, testimoniis et gravium virorum autoritate. 3. Probabile iuxta Tullium est id, quod fere fieri solet, aut quod habet in se quandam similitudinem, sive id falsum, sive verum. 4. Possibile iam superiori capite declaravimus. 5. Cohaerens, sive congruum dicitur illud, quod nec manifesto, nec probabili, nec possibili repugnat, sed maxime cum his convenit. 6. Decorum quod ostendendae veritatis maximam vim habet. Quid enim factum negetur, si, ut fieret, decorum impellebat? Adnecti huic potest iustum et honestum; ex his enim duobus decorum promanat. 7. Utile, quod priore numero paulo ante c. 5. explicatum est. 8. Epilogus, qui, ut plurimum, per recapitulationem, sive repetitionem dictorum concinnatur, in eoque confirmatae rei fides ab auditoribus expetitur.

3. Differt haec progymnastica confirmatio ab oratoria, quod illa sit pars orationis, ista perfecta declamatio; et quod longe diversis utraque tractetur argumentis: illa nempe studiosa veritatis esse debet, haec etiam fictiones exercitationis causa admittit, ut subiectae praxes etiam in sequentibus progymnasmatis docent.

P r a x i s.

Confirmatur opinio poetarum de bello Gigantum.

Audio frequenter, Amici Optimi, poetas, viros sapientissimos, a pluribus vehementissime redargui, quod toti ex fictionibus atque vanis commentis, ne dicam turpius - mendaciis, conflati sint et ita plurimis mortalibus natura sua facillimis ad omnia credenda imposuerint, ut meras anilesque fabulas ab iis confictas pro certissima veritate susceperint atque multis saeculis observaverint plane religiosissime. Quae res ita me commovit ad indignationem, ut penitus his poetarum osoribus irascar, qui dum eos reprehendunt, non praetendunt aliud, quam utilissimam cuique humanioribus litteris excoli cupienti carminum lectionem reddere exosissimam. Cui malo ut obviam progrederer, sumpsit bellum a gigantibus Iovi illatum hodie mihi confirmandum, ut si hoc solum quod a non paucis poetarum memoratur ostendero, omnino aut saltem probabiliter accidisse efficiam apud vos, ne reliqua etiam ingeniosissimorum hominum sacra monumenta reprobetis, at dignissima quavis admiratione venerationeque potius iudicetis.

Gigantes in communi mortalium domicilio aliquando vixisse tam res manifesta est, ut nullis probationibus egere videatur. Nam praeter totius antiquitatis frequentissimum testimonium, Mosis etiam Divini discipuli sacra volumina nos edocuerunt, fuisse gigantum genus in terra ante funestum illum cataclismum et quidem potentia nulli secundum, famam vero celebratissimum. Quae in re tametsi poetis nulla fides adhibenda esset; huic tamen Divino scriptori nemo est, qui veritatis denegat auctoritatem. Ex terra deinde ortos ipsum vocabulum clarissime demonstrat. Atticum enim *γίγαντες* nobis nasci dicitur, Doricum vero *γῆ* terram significat. Quas dictiones si coniunxeris, mox tibi ex iis gigantes, terrae filii erumpent. Neque ab his sacra pagina discrepat. Asserit enim natos fuisse gigantes ex filiabus hominum, Dei filiis, matrimonii vinculo copulatis, et cum hoc asserit animas gigantum, uti mortalium omnium, caelo originem traxisse; corpus autem ex Caini depravatissimo semine profuisse non diffitetur. Quocirca luculentissime patet, ut fuisse in orbe gigantes et terrae filios fuisse.

Nunc ergo iam ad alia veniamus. Terram caelo semper adversam et inimicam fuisse vel hinc discere possumus, quod senserit illa recordeturque semper ex caelo eam vocem fuisse delapsam, qua horrendum per anathema ad spinas tribulosque germinandos est condemnata. Inique fert etiam alia elementa partim centrum, partim sedem aliquam supra se occupare; puriorem esse in altiore regione aerem, nobiliorem ignem, nitidiores aquas et quasi destillatas; se vero deorsum quodammodo praecipitam, nihil ultra nubes loci habere, nihil venerationis, omnium pedibus conculcari, ipsius denique caeli excrementis conspurcari. Ad haec non iusto sibi contemptui illa duxit, cum homines quidam ex ea prognati, in eius superficie educati, bonis eius immutriti, despecta matre sua caelo se inscribi voluerint, Superosque esse promulgaverint, Ioves, Saturno, Appolines, Martes, Mercuriosque dixerint et ab universo coetu mortalium divinos honores sibi contenderint exhiberi? Iustum itaque bellum contra eos actura immanem fetum ex se produxit, viribus validissimis armavit, manus etiam centrum quibusdam suppeditando, ut matris ignominiam deperditis filiis ulciscerentur et ne ipsa posthac ab ullo mortalium despiciatui haberetur ob spem caeli adipiscendi, caelum ipsum eos aggredi et oppugnare, demolivi, evertere, delere iussit.

Armantur itaque terrae cohortes ipsa magnitudine staturae immensa metuendae; convertunt in tela integras arbores, in scuta et gladios integras ferri officinas absumunt; coacervant montium cacuminā, Ossae Pelion, Oeten Caucaso, Pindum Olympo, Rhodopen Atlanti superponunt, atque ita structo ingenti propugnaculo Iovis regiam, rupes, saxa, petrasque vastissimas elaculati, feriunt, pulsant, obruunt. Perisset Deorum illa sedes ac domicilium, nisi Deos propugnatores habuisset, nisi Iovem Typhaeo, Martem Peloro, Saturnum Mimanti, Rheto Apollinem, Porphyriōni Mercurium, Palladem Pallanti, aliisque aliud caeleste agmen opposuisset, nisi contra tela grandines, contra gladios ignearum sagittarum imbrem effudisset. Sic victi caelorum hostes, sic prostrati terrae filii matrem dentibus momordere exspirantes et ex quo ventre prodire, eundem pro tumulo acceperunt.

Mandacia sunt hae, inquis, et nusquam visa, nunquam patrata. Homines ne tantum aggredi potuerē nefas, ut caelum deorum regiam adorirentur? Immo vero quid hoc possibilis? Non legis divinis in edicibus Noemi, restauratoris orbis, progeniem, fastuoso spiritu afflatam, conventum celebrasse et de erigenda civitate ac turri, cuius culmen caelum tangeret, consilia agitasse? Quin rem ipsam praetumidi homines aggressi, bitumineque pro caemento, lateribus pro lapidibus usi, iam fundamenta grandia molis vastissimae iecerant, iam in altum muros eduxerant, nequaquam a coepto opere cessaturi, nisi Deus, inimicus superbiae, non modo mentes elatas, verum etiam linguas eorum confudisset. Unde cum antea terra unius (ut Sacrae Litterae loquuntur) labii esset, in tantae postea documentum audaciae sempiternum tot nunc idiomatis utitur, quot ab illa Noemi posteritate nationes ac populi promanarunt.

Ergo potuerunt pygmaei moenia caelo tenus moliri, gigantes et viribus valentiores et animis fortiores, montibus congestis caelum oppugnare non potuerunt? Oppugnarunt omnino, oppugnarunt. Id namque ipsi montes altissimi, Olympus et Atlas, evidentissime testantur, qui sublimi feriunt sidera vertice, nubesque praetergressi tam vicini sunt radiis solaribus, ut sub tempus orientis (quod de Olympo clarissimi scriptores asservunt) usque ad quintam diei horam flammam evomant. Qua altitudine non eos natura donavit, sed manus gigantum, qui cum (uti diximus) alios aliis montibus aggererent, Olympum atque Atlantem caelo vicinissimos adeo, ut pro hoc ipso sumantur, effecerunt. Id loquuntur etiam poenae profligatorum, cum aliis Aethna imposita

(quo par scēleri esset supplicium) aeterno pondere gementia pectora premet, alios Pluto, concatenatos sexcentis modis, laniet atque torqueat, alii, quos liberatum ibant, Titanum cruciatibus admixti sunt.

Hoc ergo, dicis, ipsum debuit gigantes a bello diis inferendo abstergere; quod se dirissime cruciandos non dubitarent, si victi concidissent; vincendos vero non aequo Marte congressi poterant se certo exspectare. Quid tu viris timorem panicum obicis? An ignoras, quod qui metuit mala ventura praesenti timore bis miser est dubiamque victus est ante cladem? Victoriā illi sibi certissimam non interitum ominabantur, et causae freti aequitate, cum iussu matris pro matre pugnarent, et valido robore stimulati, cum vastissimi instar montium cum debilibus et minutis quibusdam nanis congregarentur. Poenam vero quid exspectarent illi, quibus, profligato deorum exercitu, nihil amplius esset metuendum? Orbis illi totius pacatissimum imperium iam inter se partiendum designabant; triumphum de caelo terrae matri instituendum iam animoolvebant; palmae, laurea, coronas iam apparabant. His illi potius incitabantur ad pugnam, non poenis ad metum, non metu ad fugam compellebantur.

Sed in re confirmanda, a poetarum principibus pro verissima decantata, ab antiquitate et sacra et prophanā luculentis testimoniis comprobata, non opus esse censeo pluribus argumentis. Probavi admodum perspicue vixisse tempore suo gigantes in mundo, terrae fuisse filios, bellum cum Superis egisse, in quo quemadmodum Superi victores evaserunt. Ita hic vincit veritas ac triumphat. Io triumpho! occinamus veritati.

C A P U T II...

De confutatione.

1. CONFUTATIO est oratio, quae rem affirmatam debilitat et infirmat, multoque se habere aliter, quam refertur, ostendit. Quintilianus docet, non solum in fabulis et poetarum figmentis, verum etiam in annalibus refutandis huic locum dari. Adde et opiniones hominum minus stabiles, immo exercitii causa etiam irrefragabiles, tum dicta, gesta et sententias refutari posse. Quin aio. Nihil posse confirmari, quod confutari non possit.

2. Tractatur confutatio totidem modis, seu partibus, quot confirmatio, sed penitus contrariis. Nam ibi exordium fit a laude, hic a reprehensione; sed cauta et astuta, nec aperta. Manifesto opponitur obscurum, si de ea re, quae refellitur, vel aliter alii sentiant, vel prope nihil dicant. Probabili incredibile, quod illi rei fides parva, vel nulla sit attribuenda, tum quod a veritate videatur abluere, tum quod naturae vires et cet. excedat. Possibili impossibile, quod negando optime astruitur. Cohaerenti inconueniens, quod cum tribus prioribus locis quandam habet correspondentiam et in quo nihil aliud ostenditur, quam inconuenientia rei. Decorum indecoro oppugnatur, quando res confirmata nihil gloriae, honestatis, iustitiae, decoris, quin ignominiae potius habet plurimum. Utili inutile obicitur, quum id, quod confutatur, non solum ullos fructus non continet, sed multa e contrario damna ex eo promanare, vel promanatura fuisse ostenduntur.

P r a e f a t i o .

Praecedens confirmatio refellitur.

Semper ego magno cultu magnos doctosque viros poetas prosequabar, Amici Optimi, tum quod egregiae sapientiae spiritu afflatus et plenos omnes, qui perfecti essent, iudicarem; tum quod eandem sapientiam tanta facilitate, qua nihil dulcius exhiberi posset, mortalibus instillarent. Neque ad huc iste erga eos plenus reverentiae sensus in me extinctus est, neque extinguetur unquam; tametsi quos magni facio, quos observo, quos admiror et obstupesco, iisdem plenam in omnibus fidem non adhibeo semper, nisi quaedam eorum, quae ingeniosissime cecinerunt, aliter quam refuruntur intelligantur.

Unde et illud proelium adversus Superos a gigantibus susceptum et nunc ante me speciosis et subtilibus argumentis comprobatum, tantum ab ipsa veritate dissitum esse iudico, quantum pulcherrimum illud caelium domicilium, aurea illa sedes immortalitatis, ab hoc nostro deformi et caduco orbi distare existimatur.

Fuerint itaque gigantes aliquando in hoc sublunari globo, qui ut ipse monstrosus est, ita facile parit monstra et hominum et ferarum. Hoc enim, quod videtur collega meus praeterisse, ad rei confirmationem vel maxime pertinet: quod nobis ossa ex illis praegrandibus hominibus dissipata nunc etiam tantae magnitudinis exhibeantur, ut ex ea clarissime percipiamus, non homines illos fuisse, at tures quasdam excelsas, humana carne quasi caemento oblitas, ossibus quasi lapidibus consolidatas, nervis quasi ferramentis coniunctas. Verum deos aliquos extitisse unquam praeter unum omnium Conditorem quis credat? Quodsi dii nulli fuere, cum quibus hostibus in aere gesserunt bellum gigantes? At finxerit suos sibi Superos antiquitas et, quo amplior ipsi tritiorque ad voluptatem ac illecebras via pateret, ex hominibus sceleratissimis deos creaverit. Qui, cum ipsi fuissent nequam, nullam haberent malos puniendi potestatem. Etiamne illud verò simile dicemus, quod terra gigantes, ex se genitos, contra eos armavit, quos pariter ex se produxit? Subierint quacunq;ue via licuit (si tamen licuit) palatium illud stellatum, potiti sint immortalitate? An hoc iis mater propria, non noverca, invidisse dicenda est, quae tanto suae sobolis honore ac dignitate laetari potius gloriarique debebat, cum praesertim in ea partem aliquam sui potiorem in tam excelso fastigio locatam esse consideraret?

Placetne vobis, Amici Optimi, hac de re tota non minus faundissimi, quam sapientissimi Ciceronis iudicium et sententiam expendere? Non dubito, quin hoc perlibenter desideretis. Ergo praeclare Tullius in eo, quem de natura deorum eleganter conscripsit volumine in rem praesentem praefatus: "Neque vero, inquit, ut fabulae ferunt, Di bellis proeliisque caruerunt, nec solum, ut apud Homerum, cum duos exercitus contrarios alii Di ex alia parte defenderent, sed etiam, ut cum titanis, ut cum gigantibus propria bella gesserunt. Haec et dicuntur et creduntur stultissime et plena sunt futilitatis summaeque levitatis. Nihil penitus ad tam luculentum de bello Gigantum cum Diis habito magni Tullii testimonium addi necesse est. Mitiganda potius esset illius, quam in ardentissimis verbis observatis indignatio contra indignitatem rei temere confictae et audacissime ad credendum propositae, concepta, nisi quisque veritatis amans ita

falsitatem omnem censeret esse perstringendam, ut gravissimis etiam illius auctoribus esset irascendum. Sed concedamus ipsum Ciceronem hanc, quam expendimus, sententiam de re praesenti immerito protulisse; concedemusne simul ab hominibus, debilitati natura sua obnoxiiis, altissimos vastissimosque montes de sedibus imis motos fuisse, in unum aggerem omnes comportatos, ita leves, ut tolli possent, ita declives, ut ascendi? quis hoc sanus mente et vel exigua iudicii particula dotatus potuisse fieri sentiet? Sit vero et hoc factum; cogitandum tamen erit quanto adhuc spatio ab illo propugnaculo Deorum sedes, quae in summo Caelorum orbe fixa deberet esse, distabat? Trecentis puto, tametsi parum dicam leucis, non stadiis. Quo pacto igitur homines, nunquam tam alti, tantam altitudinem vel manu superare, vel telo assequi, vel tormentis attingere potuerint?

Praeterea quid nos opinamur ipsi caelum esse? Equidem Sacër Apocalypticus Vates innuit: esse hoc Civitatem unam, magnam atque sanctam, cuius claritas e lapide pretioso scintillat; cuius murus portis duodecim distinctus, Angelicis excubiis munitus, nominibusque tribuum Israelitici populi insignitus; cuius moenium fundamenta non tam titulis quam virtutibus Apostolicis innitentia atque nitentia; cuius forma artificii perfecti, nam quadrata; mensurae concinnae, nam tantae longitudinis, quantae et latitudinis. Materiam moenium exploras? gemma est. Civitatis? aurum est. Fundamentorum? quidquid gemmarum potuit reperiri totum in ea congestum est. In his iaspis relucet, sapphirus coruscant, riget chalcedonius, viret smaragdus, rubet sardonius, florescit sardius, fulgurat chrysolitus, nitet berillus, candicat topazius, flavescit chrysoprasus, purpurascit hyacinthus, splendet amethystus. Portas circumspicis? singulae gemmae sunt, singulares, invisae, inauditae, inaestimabiles. Plateas perlustras? auro stratae mundissimo, lucidissimo, virgineo. Lucem expetis? lucerna eius est Agnus. - Hanc Urbem, sic munitam, sic venustam, sic elegantem, sic pretiosam, sic opulentam, voluissent, credo, Gigantes aggredi, nisi haec, quae de ea dicta sunt, impropria essent et allegorica. Vera enim de Regia divina dici, ac audiri vix a quoquam possunt; idque demum certissimum est, istud a nemine mortalium humanis oculis in humano corpore constitutis naturalitater videri posse, multo minus expugnari.

Nec tamen inficior verissimum esse, quod ipsa veritas promuntiavit: A diebus Ioannis Baptistae regnum caelorum vim pati et rapi a violentis; sed non ante, non aetate Gigantum, quo tempore iustis etiam clausum fuisse edocemur. Illa vero violentia, caelo inferenda, quaenam potest esse? sola virtus. Hac praeditis astra patent, ipsi planetae cedunt in imperii penetralia conscendentibus, suapte natura panduntur. Urbis ostia et locus ipse, quos post Angelicam ruinam praestolatur, ultro sessuros invitat. Ballista deinde huic urbi expugnandae aptissima Fides est; scala Spes; telum Caritas; quo ubi Deum confixeris, victori Capitolium suum patere iubebit et emisso capiti lauream imponet immortalam. Haec arma quoniam defuerant Gigantibus, ita credendum est an eis bellum Superis illatum fuisse atque mures a ranis credimus debellatos. Utrumque fictum est, utrumque falsum, utrumque ridiculum et tum maxime, cum vel imaginariae eorum victoriae applaudimus, vel huiusmodi cladi condolemus. Quamobrem et in hac causa nihil restat amplius, quam ut omnes bruchi, culices, tabanisque congregentur et, Io triumpho! Iovi, qui nunquam fuit, lessum vero Gigantibus, quos nusquam profligavit, ebucinent. Dixi.

C A P U T III...

De conciliatione.

1. CONCILIATIO est, quae duas Orationes, invicem sibi contrariantes, ita plerumque componit, ut ipsissimam veritatem attingat.

2. Constabit proaemio, expositione, declaratione, amplificatione, epilogo, ibi praesertim, ubi fictae theses conciliantur; nam in veris singula puncta discuti et ita tractari possunt, ut utrique earum, quas conciliamus, sententiarum concedamus aliquid propter animorum consensum.

3. Proaemium hic diversimode confici potest, semper tamen orationum praecedentium connexio respicienda.

4. Expositio continebit brevem rei seriem, de qua disceptatur; Declaratio eiusdem genuinam explicationem; hanc sequetur Amplificatio sive rationibus, sive exemplis, sive testimoniis referta; denique Epilogus circa persuasionem conciliationis versabitur.

5. Utilissimum hoc progymnasma, me repertore. Cum enim facundiae sit in hoc maxime posita exercitatio, ut in utramque partem disputemus de quacunque propositione; ne auditorum animos reddamus offensos, quorum aliis confirmatio, aliis confutatio placebit, hoc nobis conciliatio praestabit.

P r a x i s.

Praecedentes opiniones conciliantur.

Libertatem dicentis et mansuetudinem audientis divinae nobis in vitae gestisque Octavii Augusti Suetonius Tranquillus vetustissimus et elegantissimus scriptor exaravit. Amici Optimi. Cum enim praesente Octavio, Romano in Senatu, vir virum aliquando legeret et Antistius Laeae M. Lepidum hostem olim eius, tunc exultantem legisset, interrogatus ab eo, an essent alii digniores? suam quemquam iudicium habere respondit. Nec tamen ideo mansuetudine atque prudentia Principis libertas aut contumacia fraudi huic aut cuiquam fuit in pari causa Romanorum. Praesumpserant et Collegae mei, vestra admirabili benevolentia impulsus, ante me certamen multum in hoc iucundissimo consessu vestro inire. Audistis utriusque causam humanissime et argumenta eorum pugnancia secum ita leviter in animum vestrum admisistis, ut prorsus utriusque sententiam iudicio vestro approbare videamini.

Idcirco quae ab Octavio in Senatu Romano cuique concessa fuit, eam nobis a vestra humanitate hoc in loco dicendi libertatem concessam esse plurimum gaudemus. Quoniam vero et sapienter, et utiliter agit, qui cura sua consiliisque bellum aut pugnam aliquam dirimit, pacemque inter animos dissidentes componit, visum est mihi, nec a vestro proposito alienum, nec huic tempori inconveniens, si eam proelii Gigantum cum Superis explicationem huic afferam, quae utriusque Collegarum meorum sententiam conciliet, minimeque sanctissimo Poetarum nomini laudem detrahat et auctoritatem.

Si itaque eo sensu, qui hic usurpatus iam est, Poetas intelligemus, aut interpretabimur, procul dubio errabimus Invitis eisdem. Neque enim illi sua documenta volebant a nobis ita percipi, ut sonant ipsae

dictiones, neque mentem suam iuxta verba declarari, sed occultissima nobis in his arcana indaganda reliquerunt. Quorum ego assecutus intentionem et utriusque generis Philosophorum, tam eorum qui se instituendis humanis moribus totos consecrarunt, quam illorum qui naturae secretorum eruendorum studio dediti sunt, de re proposita opinionem sagacissime expendens, huic tandem, quam breviter expono, sententiae subscribo et hoc ipsum, quod in medium proferam, non aliud in proelio Gigantum Poetas occultasse arcanum demonstro.

Credidit igitur simplex illa, barbara, caecaque vetustas, Poetarum sapientiam non capiens, Gigantes, uti dictum est, homines fuisse excelsissima statura, draconum pedibus, ab irata tellure procreatos in Deorum perniciem, ut scilicet his bello illato Iovem coeli possessione detruderet atque spoliaret. Nobis vero quid verius de Gigantibus sentiendum est, quam fuisse hos fastu excelsos, qualibus saecula quavis abundant, homines terrenis desideriis inflatos ac distentos, impios ac sceleratos, nullius religionis, nullius virtutis, qui omne ius in armis habebant, omne bonum in voluptate reponebant, praesentem vitam solum sibi esse concessam, aliam beatiorem non exspectandam putabant; nullum ab obitu cuiusvis, nullum commune omnium hominum iudicium fore, nullas poenas, nulla praemia stulta opinione delusi sibi persuadebant; naturae omnia, Deo nihil attribuebant, immo Deum nullum esse credebant, potestatemque nullam agnoscere volebant. Quisque illorum sibi princeps erat, quisque Deus.

Inde proveniabat, ut nihil de animorum cogitando immortalitate, corporibus tantum curandis et omni genere illiceberrum imbuendis atque innutrientibus incumberent, utramque sui partem ex terra ortam et eo redituram impudentissime ac impiissime existimantes. Hac ratione terrae filii vocati sunt et quia nullum Numen agnoscebant, neque metuebant, neque venerabantur, hostes Numinum fuisse merito iudicati coelique, ex quo promanat omnium bonorum copia verius, quam ex Amaltheae cornu, eversores, non modo contemptores. Hanc ipsam rem Divinus historicus non obscure exposuit. Postquam enim genus hominum ante universalem cataclismum sub Sole degentium descripsit; postquam ingentes eorum staturas, robur atque potentiam cum celebri fama expressit; postquam gravissima scelera et prorsus non humanam at beluinam quandam rationem atque consuetudinem vitae eorum demonstravit; denique ab irato optimo Numine, cuius nutibus aeternaeque legi refragabantur, cuius amorem et cultum spernebant, gravissima eluvione aquarum una cum toto orbe terrarum deletos fuisse luculentissime confirmavit. Nec opinor, me ingrati cuiuspiam rem facturum, tametsi ea prope qua claret simplicitate atque puritate dictionis, summae tamen gravitati coniuncta, caelestis ipsius historici mentem vobis in compendium reducam et quasi ante oculos gestae rei totam seriem apertissime proponam.

Refert ergo divinus Moses quod cum coepissent homines multiplicari super terram et filios procreassent, videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae, acceperint sibi uxores ex omnibus, quas elegerant, quae postquam genuerunt, Gigantes prodierunt ex illis, potentes a saeculo, viri famosi. Et quoniam plus lactis e terrenis matribus, quam sanguinis e divinis patribus hauserant, in omne scelorum genus effusissime erant prolapsi. Videns itaque Deus, quod multa malitia hominum esset in terra et cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore, tactus dolore cordis intrinsecus: "Delebo, inquit, hominem, quem creavi a facie terrae, ab homine usque ad animalia, a reptili usque ad volucres caeli, paenitet enim me fecisse hominem. Et ut bonitatem optimi Conditores clementiamque agnosceres atque celebrares, tantum

temporis a sui decreti promulgatione sceleratis ad paenitentiam concessit, quantum ingentis Argos aedificationi, qua iusta progenies cum impollutis animantibus atque volucribus erat salvanda, fuit permissum.

Anno demum sexcentesimo vitae Noemi, quem Deus constituerat utriusque naturae conservatorem atque in diluvio nauarchum, mense vero secundo et huius die septima, cum impia pectora non compungerentur, sed divini monitoris vocem viginti lustris toto orbe sonantem illuderent potius, rupti sunt omnes fontes abyssi magnae et cataractae coeli apertae sunt, factaque est pluvia magna super terram quadraginta diebus et quadraginta noctibus. Quid deinde? Factum est diluvium magnum et multiplicatae sunt aquae et omnia repleverunt in superficie terrae; consumptaque est omnis caro, quae movebatur super terram, voluorum, animantium, bestiarum, universi homines et cuncta, in quibus spiraculum vitae est in terra, mortua sunt. His erat ortus, haec nefanda vivendi forma, hoc bellum cum superis; hic interitus Gigantum, quem nobis non ille comptus, at veritatis indigus Ovidius, sed ipse digitus Dei per suorum gestorum Sanctissimum Scriptorem, non fucato quoddam calamo, at recto, nec erroneo quidquam exaravit.

Quodsi iuvat etiam sapientium virorum, solertissimorum naturae scrutatorum, sententiam audire, en ego huic exponendae sermonem, vos benevolentiam accommodate. Sentiunt ergo physiologi, Gigantes spiritus esse terrae inclusos, qui dum exitum non inveniunt, fractis interdum altissimis montibus erumpunt et frustra eorum quasi in coelum iaculantur. Quid hac opinione ingeniosius? quid acutius? quidve probabilius? Esse terrae filios Gigantes ipsum nomen docet; spiritus, inclusi terrae, eiusdem filii sunt. Ab irata matre Gigantes procreati dicuntur; quantum non modo irascitur, sed furit etiam terra, cum hos in suis visceribus spiritus inclusos tenet, cumque ab his velut obsessa cruciatur? Bellum Gigantes cum Superis gessisse memorantur; an proelium adversus Superos machinari spiritus e terra erumpentes non videntur, cum primo hanc suam matrem concutiunt, deinde lacerant, postremo vel ignes, vel saxa, vel cineres, vel haec omnia simul eiaculantur in auras et totum coelum (quod in gravissimis fieri solet proeliis) obscurantes, adiacentia circum loca, oppida urbesque maximas quandoque devastant, obruant, funditus evertunt. Hinc Gigantum pectoribus Ethna fertur incubare, quoniam talibus in se coartatis spiritibus plenum fert uterum sensitque iam aliquoties illorum eruptiones, acies, pugnas, cum tota in flammam atque favillas redigeretur.

Haec proelia Gigantum Tiberio Augusto imperante duodecim urbes Asiae nocte una prostraverunt; haec ex praedictione Anaximandri Milesii Lacaedaemona subverterunt magnamque Taygeti montis partem abruperunt; haec anno illo, quo ad Trasimenum lacum Romana Punicaque acies concurrerant, septies atque quinquagies omnem prope terrarum globum commoverunt. Haec L. Martio, Sex. Iulio consulibus in agro Mutinensi duos montes ad duellum ita conlocarunt, ut patente die secum confligentes, crepitu maximo assultantes, recedentesque flamma etiam fumoque aerem repleverint, certis duelli conflictusque signis. Quodsi recentia argumenta desideramus, audivimus utique nuper in Dalmatia celeberrimam urbem Ragusiam haec terrae filiorum Gigantum concertatione absorptam ac penitus deletam esse. Itaque si per Gigantes inclusos telluri spiritus documento naturae scrutatorum intelligimus, aut illos morales quibus animum nulla religio constringit, asserentibus id morum praeceptoribus ac Sacris litteris confirmantibus summam

laudem poetis debebimus attribuere, qui sub tam pulcherrimo acutissimae fictionis velo rem dignissimam atque praestantissimam, plenam sapientiae, plenam eruditionis nobis in apricum producendam proposuerunt.

Attribuendum denique est auditis ante me Collegis meis summum iudicium, summaque facundia quandoquidem tam eleganter uterque eorum suas partes implevit, ut pro suo sensu nihil a veritate rei discessisset, nihil a prudentia, quae virum statuit atque indicat, deflexisse censendi sint. Vos vero, Iuvenes litterarum amantissimi et maxime Poetarum studio addicti, ex hac nostra litteraria dimicatione hunc fructum estis percepturi, ut quemadmodum vobis sapientissimorum vivorum poemata frequenter ac diligenter evolvenda esse censeatis, ita genuinum verumque eorum sensum explorandum. Dixi.

C A P U T IV.

De Loco Communi.

1. Locus Communis est oratio, bona vel mala, quae alicui insunt, augmentans. Servit autem hoc nomen tum excerptis, quibus providi scientiarum cultores solent uti; tum fontibus, ex quibus oratores argumenta desumunt; tum denique laudatae vel reprehensae ab oratoribus, historicis, poetis alique res Loci communes dicuntur.

2. Sex capitibus hoc progymnasma tractari solet nempe: Legitimo, Iusto, Utili, Possibili, Honesto, Eventuro; ad quae tamen prooemio accedendum est, quod Aphthonius ex contrario, rei expositione, comparatione, sententia, digressionem in coniecturalem causam atque exclusionem misericordiae docet esse faciendum, sed quoniam caput hoc aequè longum atque corpus ipsum foret, censem ego ex abrupto Locum communem esse inchoandum vel insinuationem quemadmodum thesimum ordiendam esse docui.

3. Hos quattuor locos: legitimum, iustum, utile, possibile iam superius Num. 1 cap. 5 explanatos habes. Honestum vero est, quod propter se amatur, exclusa omni utilitate; hinc maiorem vim ad persuadendum arguendumque habet, quam utile. Sapientissimus enim ac probatissimus quisque nunquam honestatem utilitati postponere audeat neque patitur postponi. Eventurum, quod conclusionis loco deserviat, est illud, in quo ostenditur, quid: vitium vel virtutem, bone sive malum, sequatur. Verbo "Eventurum" est finis cuiuscunque actionis, qui in quavis deliberatione, maxime respiciendus.

P r a x i s

Loci communis in Saltatores.

Dolendum est, Auditores, tam obcaecatos esse mortalium plurimos, ut vitium a virtute discernere non possint; immo in tanto errore mentis, consilii, rationis et conscientiae versari, ut nefaria scelera cum patrent, levissimas esse culpas aut nullas existiment. Existimant ergo? quin potius asserunt ac defendunt. Vos estis hi, Saltantes Luperci, vos, inquam, improba Bacchi agmina, estis hi, qui saltum inter vitia nullo modo accensere vultis, honestatis vero pulcherrimam quandam speciem ei tribuitis et pulcherrimum velum turpissimo facinori obtenditis. At quero ex vobis, si chorearum tractatio ne venialis quidem, ut dicitis, est noxa, cur Sanctissimum Laodicaenum Concilium

eos qui in nuptiis etiam Magnatum, Principum, Regumque choreas duxerint, cur eod terribili Ecclesiastico anathemate fulminavit? Neque hoc iniquissime. Quid enim magis hominem Christi doctrinam professum, quam actus hic, quo solis adustas aestu belluas imitatur, dedeceat, cum exuto satius pudore quam vestitu, pedibus nefarios gyros delineat, lumbos, latera, brachia hic et illuc inflectit, manus invertit et totius corporis agitatione Satyrum aliquem, ne dicam insolescentem pecudem repraesentat?

O malum detestabile et nulla poena non dignum! Hoc ne supremus ille actionum nostrarum Censor dissimulat? hoc impunitum relinquit? Atqui non unius penetravit aures illa poena, qua alicubi chorearum ductores aequae Deus amantissimus afflixit. Ducebant homines impientissimi choreas idque in loco divinis rebus consecrato, neque impuras voces et cantilenas popinarum purrissimis Ecclesiae cantibus immiscere verebantur, neque Deum metuebant; cuius in praesentia, ut olim circa vitulum conflatum Hebraei, per mortuorum sepulchra effrenes discurrebant. Itaque merito zelosissimo vigilantissimi Pastoris insolentissimi Hirci edicto condemnati non minus quam integro unius anni spatio inviti iam illam terram conculcabant, quam per summum nefas nefario salto ausi erant profanasse. Ex delicto plane poena sumpta est; delictum delicto punitum. Quodsi tantum potuit unius hominis vox, ut inauditam poenam in sceleratos a coelo attraheret; si tam fuit acceptus, acceptatusque unius hominis zelus, ut omnino, quod oppugnabat horrendum facinus, repentino supplicio plecteretur, - quis mihi in Ecclesiam novam doctrinam invehet, illamque tam clementem esse matrem dicet, ut nullam censeat esse culpam illam actionem, quae tam liquida, tam severa, tam inaudita poena fuit affecta?

Sed ne longinquis exemplis id promoveam, quod proximis rationibus possum, perspicite, obsecro vos, dediti saltui mortales, quanto cum vestro emolumento hunc relinquitis. Etenim robur virium, quas illa noxia agitatione profecto rumpitis, vel saltem debilitatis, ubi ab ea abstinueritis vobis integerrimum erit. Non sanitas vacillabit, non opes dispendium patientur, non pudor subibit periculum, non castitas in discrimen concietur, non denique ulla virtus et quae maxime sit aestimanda, bona aestimatio vestri nominis aliquid naufragium incurret ac tolerabit. Quis enim iustissime nequeat omnium scelerum condemnare illum, qui fuerit choreis addictissimus? quandoquidem saltus tot homicidiorum est origo, luxus amphitheatrum, pater luxuriae, affinis ebrietatis, auctor temporis, fomes libidinis, nequitiarum praeceptor, omnium vitiorum Oceanus. Hinc quotquot in pessimos optimi iuventum degenerarunt, causam suae dissolutionis unicum unicum saltum exhibebunt. Namque illa sola, cetera ut omittam, diversi sexi contrectatio, non-ne Angelos etiam humanis corporibus vestitos ad innocentiae ruinam impelleret, non modo homines natura sua ad malum proclivissimos? Iunge stuppam igni, mox videbis incendium; guttam aceti vino quamvis generosissimo affunde, subito corruptio sequetur melioris; allice, ut insideat visco, avem, iam tenes captam; tange manu coctam resinam, non maculam evitabis; hauri venenum ore, non mortem effugies.

Quodsi unicum saltum inspexeris, universa haec mala in eo reperies; et illud quidem maximum, quod sumptam de latere viri mulierem ad latus teneas, quae se tacite insinuat, unde orta est, et insinuans gravi deliquio te sopire potest. Non possit ergo aliquis sceleratissimum illum proclamare, qui saltui deditissimus est? In contrarium videte, Auditores, quam floreat laude probitatis, quam commendentur ab honestate inimici chorearum! illos integros vitae, scelerisque puros quivis demonstrat; illos verecundia, maximo tene-

rae aetatis ornamento, lucidissime fulgentes admiratur; illos innocentiae purpura coonestatos amat; illos, denique, omnium virtutum quasi possessores infinitis pröpe encomiis ad sidera evehit. Ad quæ omnia tanto propius accedit iuventus, quanto remotius a choreis discedit.

Verum, ne ulterius progrediar, unum terribile exemplum producam et rem concludam. Fuit mulier in pago tam vitis, quam annis decrepita. Volupe fuit huic continuos dies in tabernis Baccho dedicare ibique cantilare licentiose, saltitare impudice. Festam ergo quandam lucem cum in hoc delubro liberi patris foeda libertate totam celebrasset multosque iuvenum, qua malo exemplo, qua pessima lingua ad malum pellexisset, incentivum iam ardenti rōgo affundens, tandem profundissima nocte domum redibat, sed neque tum modesta, saltitans enim per vias, cantu etiam procaci dormientes ad choreas excitabat. Sed en sic agenti gyros et modulanti nigerrim fit obvius bos (quis dubitet beluam orcus fuisse), invadensque improbam, cornibus confodit, exanimat. Quid postea? Fetor inde ex mortuo corpore tam gravis, toto pago diffusus, tam horrenda et stygia mephitis emanavit, ut nullus ad miseram sepeliendam ex propinquis etiam voluerit accedere, infici quisque et extinguere metuens.

Vultis, Auditores, ac praesertim vos, Scholastici Iuvenes, taetrae illius beluae cornua effugere? saltum fugite, salvi estis.

C A P U T V.

De Legislatione.

1. LEGISLATIO est oratio, qua lex aliqua vel confirmatur, vel infirmatur. Dixi, Confirmatur, ut legis laudem, approbationem, institutionemve ostenderem. Dixi, Infirmatur, ut eiusdem reprehensionem, confutationem, relectionem, annihilationem demonstrarem. In his enim praesens oratio versatur.

2. Quoniam vero iisdem fere capitibus Legislatio, quibus Thesis ac Locus communis tractatur, idcirco ne quis haec simul confundat, differentiam inter Thesim et Legislationem statuo, quod haec finita circumseribat, illa de infinitis agat et quaerat. A loco vero communi differt, quod in hoc nullae controversiae intercedant, in Legislatione quam plurimae.

3. Sex partibus exponitur Legislatio. 1. Prooemio, quod a laude Legislatoris, si bona lex, a reprehensione, si mala, desumendum. 2. Legitimo, in quo ostenditur, legem iustam servandam esse, quod aliae similes servantur; iniustam vero esse tollendam, quod cum similibus aliis factum est. 3. iniusto, in quo demonstratur, legem bonam iustissime ferri vel esse latam, malam merito abrogari, vel iam abrogatam esse. 4. Utili, ubi commoda legis bonae, incommoda malae exponenda sunt. 5. Possibili, ubi legem bonam non esse duram servatque difficilem declaratur, malae vero servandae difficultas et penitus impossibilitas monstratur. 6. Epilogo, in quo suadetur, ut lex bona teneatur, mala omnino reiciatur et abrogetur.

P r a x i s

Pro lege D. Casimiro instante lata, de non restaurandis
Schismaticorum templis, a Polonis Proceribus
reassumenda.

Quantopere universae nationes duos Poloniæ CASIMIROS, Patrem Regem, Filium Principem, admirentur, nemo vestrum ignorat, Proceres amplissimi. Nam alter Sanctissimo in lucem edito Filio maximum sibi decus peperisse iudicandus est; alter, ad omnia summa et optima quam verborum, tam exemplorum stimulis

pietissimum provocans Genitorem, immortale nomen acquisivit. Etenim, ut alia pleraque sileam, quis utrumque illorum aeternis praeconiis vel hanc ob rem solam non celebret, quod illa praeclarissima sanctissimaque lex de non restaurandis schismaticorum perniciosis templis, Filii maximo labore et conatu religiosissimo procurata sit, inviolabili vero Parentis auctoritate confirmata et promulgata? Quamobrem si illi pervagatam totum orbem caelumque gloriam retulerunt ob hanc legem saluberrime inventam, latam, roboratamque, quid vos speraturi sitis, Proceres amplissimi, si eandem non modo sepultam esse patiemini, sed etiam contrariis huic foederibus, cum schismatica turba rebeli pactis, abrogari permittetis et interire?

Avertant Superi hanc a vobis, Proceres amplissimi, cogitationem. Nam quid indignius unquam Polono nomine, Polona pietate, Polono erga Religionem amore committi possit, quam si stantibus libertatum vestrarum legibus, libertas orthodoxae fidei per totam Russiam non dico minuatur, sed et ruat? Video a vobis ferro defendi iura, ad augmentum conservationemque ornamentorum vestrorum spectantia; legem in favorem Dei constitutam defendi cur non video? Promovetis vestrae Nobilitati liberalissime concessas immunitates; Divino honori satis parce attributa privilegia cur non promovetis? sinitis minime alia omnia D. Casimiri sancita obliterari et hoc laudatissimum in ruinam schismatis, in exaltationem Sanctae Religionis promulgatum edictum tanto spatio temporis neglectum esse sinitis? An per hoc aliquid iustitiae derogari posse creditis? Immo vero iniuriam haec patitur gravissimam, quando vobis (date locum et veniam veritati) dissimulantibus, si non iuvantibus, in tale fastidium schismatica res evectae sunt, ut iam nolint suis sese terminis continere, sed vestra etiam invadere, vestras villas, oppida, urbes, regnum, sanguinem sitire incipiant et vobis iam partim quaedam eripiant, partim quaedam contentur eripere?

Quid potius esse potest iniquius, quam ex tota Russia Romanae veros cultores Religionis et ardentissimos zelatores pelli, res eorum ereptas a schismaticis teneri; templa sacrosanctasque aras cum suis ornamentis pollui, profanari, everti, schismatico triumphante? O rem iniquissimam! o facinus toto orbe inauditum! o notam celeberrimo semper nomini Polono turpissime iniustam! Quod si, Proceres amplissimi, sapientissima D. Casimiri lex ad praxim reducta fuisset, nihil horum sustinuissemus unquam, quae nunc diuturno cum dedecore nostro totque damnis incompensandis toleramus. Videremus iam explicata per patientes Russiae campos (urbes dixisse volui) immortalis Regis Christi signa, florentem ubique Catholicam pietatem, ubique vero diminutam, aut penitus extinctam schismaticam impietatem videramus. Iam unum toto Sarmatiae in Regno ovile, unum eundemque Pastorem haberemus, uni Supremo Christi Vicario reverentiam exhiberemus et oboedientiam; una festis diebus cum Caelitibus maximum. Numen coleremus, unanimi pietate ac Religione; quod denique maxime in quavis Republica optandum est, hostes domi non educassemus, non sustinuissemus.

Quid enim potuimus facilius prater haec assequi? quid minori cum negotio absque armis, caede, sanguine conficere? Erat quippe tunc fortissimis constricta frenis Russia; nullum rebellionis Principem habebat; nullum ex suis collectum militem alebat; terrae magis excolendae, quam tractandis armis, agriculturae quam militiae addicta fuit. Itaque ponderosissimum etiam sibi impositum iugum portasset, non modo tanta sapientia alleviatae legis onus, quod vel ob solam carissimi Principis reverentiam nequaquam suscepisse atque portasse detrectasset. Sed quoniam nescio, quo fato Poloniae lex ea tum

temporis non fuit promota, postmodum vero plane sepulta fuit, Vobis certé, Proceres amplissimi, Viris et sapientissimis et magnanimis reservata est, ad vestra translata usque tempora eo fine, ut quod divinissimus Princeps heroi- cum facinus incohavit, hoc fortissimus perficiat; quod unus CASIMIRUS Iagielonides statui curavit, hoc alter eiusdem generis et nominis conetur obser- vari.

Vos autem, Proceres amplissimi, tam excelsum, tam piúm, tam divinum opus promoventes, perennem nomini vestro memoriám comparetis. Quo circa induite fortes animos et non solum universa Russia, sed universo etiam Orco repug- nante, sanctissimam, saluberrimam, utilissimam legem revocate, promulgate cu- stodiri que procurate. Nam quo maiora in ferendis legibus obstacula reperiun- tur, eo ampliorem consequuntur gloriae cumulum, qui has promovendo sapienter, illa fortiter perfregerint.

N U M E R U S III.

De Progymnasmatís generis demonstrativi.

C A P U T I.

De Laude .

1. LAUS, gr. Encomion, est oratio bona alicuius enumerans. Praecipue laudantur ista sex: Personae, res, tempora, loca, bruta animantia, plantae.

2. Laus personae tractatur his quatuor capitibus. 1. Prooemio, quod frequentissime duci solet ab officio, viros bene meritos laudandi, ut tam po- steri laudata illorum facinora imitentur, quam virtutum suarum mercedem, lau- dem, referent. 2. Laude, quae sumitur a genere, educatione, gestis, virtutibus. 3. Comparatione, cum illa, quam laudamus, persona cum aliis confertur, vel etiam illis praefertur. 4. Epilogo, qui conficitur vel gratulatione talis per- sonae, tamquam laudabilis, Patriae, sanguini etc., vel demonstratione tenui- tatis suarum virium in ea laudanda, vel denique adhortatione audientium ad si- mili digna laude facinora.

3. Res laudantur a bonis sibi insitis v.g. Artes a genere, antiquita- te, materia circa quam versantur, honestate, necessitate, effectis, compara- tione. Urbes: a conditoribus, situ, caelo, aquarum salubritate, magnitudine, munitioibus, ornamentis, aedificiis, incolis, templis, palatiis, Academiis, opificiis et similibus circumstantiis. Virtutes commendantur a pulchritudine, praestantia, effectis, aestimatione, necessitate, immortalitate, quam con- sequuntur...

4. Temporis laus desumitur ex illis bonis, quorum capax est. Sic ver laudabitur ab amoenitate, frigoris expulsionem, temperato calore, blando favoniorum flatu, rerum omnium generatione, quam producit. Aestas a segetibus, autumnus a fructibus, hiems a frigoribus, sine quibus nec machina mundi queat durare.

5. Bruta animantia laudantur ob naturam, affectiones, formam, propor- tionem, robur, agilitatem et alias bonas dotes, quas multas multis animantibus natura mater infudit.

6. Plantarum laus sumenda est ab inventoribus diis, quibus erant dicatae, significatione, terra, forma, florum venustate, ubertate fructuum, usu, utilitate, necessitate. Ac demum, ne putes me laudandorum locorum argumenta transilire; dico tam horum quam aliorum infinitorum laudem magis ab humano ingenio (quod etiam vilissima et pessima quaequam laudare potest), quam a praeceptis dependere. Pro praxi vero, sublimia tenuis ingenii demissione consequi volens, nunquam satis laudandae Summi Dei Genitricis Laudem, magis piam, quam cultam (licet istud etiam sim conatus), appono, dictam Reszoviae ad Sodales MARIANOS 1661.

P r a x i s.

Laus Deiparae MARIAE Virginis.

Magna tentare videtur, qui MARIAM nititur laudare, Sodales Mariani. Nam quae omnium felicitatem est ac dignitatem supergressa, illius dicendis elogiis omnium linguas non suffecturas merito existimem. Optent centum ora poetae magni aliquid dicturi, hic ne mille ora satis esse possunt. Optime sibi consulit, qui Virginem DEI Parentem pietate magis celebrat, quam facundia. Ne tamen valde tenuitati nostrae metuentes a Virgineis laudibus abstinemus, vanum esse insanumque huius Encomiastes Casimirus asserit eum, qui viribus eloquentiae suae diffidens ornare praeconiis recuset eam, quae terrae caelique maximum est ornamentum. Quapropter quantum humani debilitas ingenii patietur, quantum infecundae mentis et infecundi oris poterit tenuitas, tantum caelestis Augustae laudatissimo nomini magnis praesertim temporis angustiis inclusus, laudum adicere conabor. Quod tanto melius effecturum me spero, quanto vestra benevolentia, Sod.Mar., benignius sustentabor.

Ac primum genus ad se nobilissimum nobilissimae Virginis meam trahit orationem. Etenim orta Regio Stemmata, sacerdotali creta sanguine, a nullo praestantia et antiquitate familiae potest superari. Ipsa vero superat omnes, quod ab initio et ante saecula, testante Spiritu Sancto, creata sit. Iactate hic mihi Ducum, Regum, Imperatorumque Filii, nec non Filiae, vestrum genus; cum Virgo eminentissimam priusquam saeculorum ordo inciperetur, exstaret, Dei Filiam dicere necesse est. Ac praeterea, cum divino spiritu ante mortales omnes ageretur maxime, divinus vero Paulus: "Quicumque, inquit, spiritu DEI aguntur, ii sunt Filii DEI", non ne hac ratione filia Dei fit? Atqui talem Orthodoxa Ecclesia fatetur, cum eam sic salutatur: "Ave Filia Dei Patris". Abite hinc probrosa monstra, feminae, quascunque magno delusa errore antiquitas filias Deorum venerata est. Solam Dei Filiam Sanctissimam V. MARIAM dicere possumus, quamvis absque carne, sine sanguine, non natam ex eo, sed adoptivam.

Iam si diligentius Principum Subolem, quam vulgi, deceat educari, qualem, putatis, haec Dei Filia habuit educationem? divinam. Templum enim Dei cum esset futura, ad Parthenonem Templi Hierosolymitani trimula deducta est, ut ibi inter castarum piarumque virguncularum choros divinis legibus erudiretur, pietate imbueretur, sanctimonia muniretur. Nec aliter factum esse Virgineus Panegyristes, Damascenus, testatus. In Domo Dei, inquit, plantata atque per Spiritum saginata, instar olivae frugiferae virtutum omnium domicilium efficitur. Non illa teneritudine aetatis seducta puellares levitates sectabatur, sed, in immaturo vultu maturam gravitatem referens, aspectu solo coaetaneas suas ad virtutes stimulabat. Non pertinaci spiritu impleta, Magistrarum voces ac mandata respuebat, sed divino afflatu plena vel minimos eorum

accuratissime exsequebatur. /
nutus diligentissime observabat, Non propriis iuvenili levitati lusibus unquam sese dedebat, sed vel profunda contemplatione, vel ardenti oratione, vel fructuosa lectione semper occupabatur. Iam denique se tam sapienter, pie, sancte, divineque in omnibus gerebat, ut etiam Instructicibus suis esset Instructrix.

O puellam Deo plenam ! mundo minime subiectam, imperfectionibus vacuum, virtutibus refertam adeo, ut has eloquentissimus Ambrosius miratus, quasi raptus extra se clamet: "Quantae in una Virgine species virtutum emicant ! Secretum verecundiae, Vexillum fidei, Devotionis obsequium, Virgo intra domum, Comes ad ministerium, Mater ad Templum". Quid ego exsequar ciborum parsimoniam (adorno meam tenuitatem Ambrosiana sublimitate) officiorum redundantiā; alterum vitia naturam superfuisse, alterum poenae ipsi naturae defuisse. Illic nulla intermissa tempora, hic congeminos ieiunio dies, etsi quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumque obuius, qui mortem arceret, non delicias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quam necessitas fuit, et tamen cum quiesceret corpus, vigilabat animus, qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut disposita gerit, aut gerenda praenunciat.

Nam de caeteris eius virtutibus quid loquar. Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente, quae nullo voti ambitu sincerum adulteraret affectum, corde humilis, verbis gravis, animo prudens, loquendi parcior, legendi studiosior, non in incerto divitiarum, sed in praecibus pauperis spem reponens, intenta operi, verecunda sermone, arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quaerere; nullum laedere, bene velle omnibus, assurgere maioribus natū, aequalibus non invidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vel vultu laesit Parentes ? quando dissensit a propinquis ? quando fastidivit humilem ? quando vitavit inopem ? eos solos solita virorum coetus invisere, quos misericordia non erubesceret neque praeteriret verecundia. Nihil torvum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior, ut ipsa corporis species, simul lacrum fuerit mentis, figura probitatis.

Itaque nemo miretur illam Dei Matrem destinatam fuisse, quae tantis ab ipso Deo fuerit virtutibus exornata, quantas vix quispiam enumerare potest, nullus unquam mortalium potest habere coniunctas. Non caeleste sidus aliquod est tam lucidum, ut nitidissimi solis lucem adaequet. Sol est Virgo Beatissima, Regina vestra, Sodales Mariani; caeteri divorum quasi minora astra lucent; ad eam virtutum claritatem, qua Maria splendidissima totum illustravit orbem, nemo eorum pertinet et quis hominum. Sed iam a Parthenone egrediamur, ad castissimumque Virginis thalamum progrediamur. Datur in sponsam Virgo Virgini nec timet minus securam fore Virginitatem sub tutela Iosephi, quae suis obediens maioribus nubit Iosepho. Soli confisa Numini, magnum uni homini thesaurum credidit tradiditque custodiendum. Scilicet non dubitavit se Virginem sponsum habituram fuisse, quae prima Virgineum florem solemnem voto Deo consecravit. Cui suam vovit integritatem, ab illo confidebat fore, tanquam suum, custodiendam.

Quid ille ? Maternitatem etiam illibatae Virginitati adiicit. Fit Mater Virgo et postquam facta est Mater, nihilominus mansit Virgo. Quod magis mirere: ex Filia Patris fit Mater Filii, Sponsa S. Spiritus, totius Beatissimae Triados receptaculum. O felix Virgo ! tot titulis ornata, tot bonis et donis cumulata ! Parit igitur Dei Filia et quidem Dei Filium. Nascitur ex creatura Creator, Pater ex Filia, non humano modo, non humana conditione. Nam et sine homine Patre fit Filius et haec sine viro fit Mater. Verus tamen est homo, qui nascitur, siquidem venit ad salvandos homines, quos nolebat aliter

salvare, nisi fieret homo. O quot mysteria Nativitas illa continebat ! quot gaudia ! quamquam more Divino mixta fuerit immensae laetitiae immensa tristitia. Salutabatur a Pastoribus uti DEUS; stringebatur gelu, uti homo; inmo non fuit exceptus hospitio hominum, quasi perditissimus homo. Externi Reges eum venerant veneraturi, domesticus ad necem inquirebat.

Ideo hoc factum, ut maior fortitudo Virginei animi eluceret in adversis. Ergo coacta fuit cum illo in Aegyptum fugere, cuius erat totus orbis et caelum. Vobis hic, Sodales Mariani, doctrina porrecta est, ut sic animae periculā fugiatis. Verum quid in Aegypto morer ? excedo hinc et in Iudeam reverto. Videbo, ut ibi S. Mater Sanctissimum Filium educat ? ut instruit ? ut format ? ut quaerit amissum ? ut miratur oboedientem ? ut audit stupetque docentem ? ut facientem miracula veneratur ? ut ad Passionem festinantem comitatur ? huc enim, Sodales Mariani, perventum est. Et quoniam nulli plus meriti, quam in Passione morteque Filii Virg. Deiparam consecutam fuisse crediderim, ideo paulo diutius hic mihi censeo morandum.

Ac primum illud dico, multas alias B. Virginis alibi virtutes insigniter emicuisse, sub hoc vero funestissimum Filialis passionis tempus Caritatem erga nos singulariter fuisse spectatam animique invictam fortitudinem. Ac, quod ad Caritatem attinet, non dubito illam tanto salvandorum hominum desiderio flagrasse, ut si opus forsitan fuisset, ipsa clavos ad affigendum cruci pro nostra salute suum Filium sumministrasset, immo ipsa eum crucifixisset. Hinc, si quae sub probrosissimo patibulo stans verba protulit, non alia certe quam haec fuerint: "Aeterne Pater, hunc ego tibi tuum meumque simul Filium, qui ex me humanam carnem suscepit, a me educatus, quem ego fugiens in Aegyptum a tyrannide Herodis reservavi, quem in Iudeam reduxi, quem vestiebam, cui magna sollicitudine attendebam, hunc ego tibi, in Crucis ara extensum, pro humani generis vita reparanda offero simulque meos omnes, quos ex atrocissima illius passione morteque percipio dolores pro eodem humano genere salvando tibi fero consecratos. Tu per cruciatu tuum meique Filii miseros mortales a sempiternis cruciatibus praeserva; tu per mortem eiusdem crudelissimam a perenni morte illos custodi; tu per amarissimum agonem ne permittas illos in agone ab hoste tartareo superari. Meorum denique dolorum memor immortalia illis gaudia impertire."

Pro quanta hic erga nos Virginis optimae caritas, Sod. Mariani, eluxit ! quantus amor nostri ! quanta nostrae salutis aestimatio ! Quis, obsecro, quis mortalium tam piam, tam beneficam, tam salutarem Dominam non studeat omni modo amare, colere, venerari ? Agite vos, quidquid in honorem Virginis istius boni facere potestis, ne negligatis. Utinam vero tam forti animo illi serviat, quemadmodum illa gravissimos causa nostri, cum Filius eius torqueretur, dolores pertulisse censenda est. Etenim non accepto illam sententiam qua docemur Virginem Deiparam aliquod animi deliquium ob atroces Filii cruciatu passam fuisse. Potuit Romana Porcia viri Patrisque Catonis mortem tam magno animo tulisse, ut quodammodo Diis se pro Patria cum illis simul immolaverit - Deipara Virgo sine animi defectu mortem Filii sustinere non potuit ? quis hoc credat ? Effuderit lachrymas, quod pietas exigebat, sed nequaquam corruerit, quod heroicus animus vetabat. Mater quaedam legitur filium ad rogam propriis humeris portasse, ut cum aliis pro Christi nomine commilitonibus exureretur; Deipara MARIA deliquium pati debuit, quod eius Filius totius mundi pro salute pateretur animamque exhalaret ? nunquam hoc mihi persuaderi sinam. Machabea Mulier hortabatur filios ad mortem forti animo ferendam, quos pro custodia divinae legis Tyrannus

enecabat atque hanc Matris generositatem Nazianzenus ille sol admirans tanto-
pere laudat: "O virilem animum in corpore muliebri ! o admirabile magni animi
incrementum !"

Sic, Mariani Sodales, Divina Mater occisi pro nobis Filii mortem
tulit, ut si tum Gregorius cruci adstisset, rectius exclamasset: O virilem
MARIAE animum in corpore muliebri ! o admirabile magni animi incrementum !
Stabat immobilis, petra ad omnem gravissimae tempestatis casum exposita, con-
figebatur dirissimis aculeis dolorum non tamen corruebat; obruebatur immensi
maeroris fluctibus, non tamen immersa fuit; conficiebatur maxima vi tristi-
tiae, non tamen deficiebat. Nam quidquid natura doloris sentiebat, hoc virtus
levabat, praesaga futuri gaudii ex Filii resurrectione promanaturi. Compensa-
vit igitur maximos ille suae Matris dolores, cum primae ab Anastasi sua viden-
dum se praebuit, cum ad Patrias sedes reversurus ei suavissime valedixit, cum
in eius conspectu caelos magnifice ascendit, cum inde saepius in terris adhuc
degentem amabilissime invisit, cum laetum transmigrationis ad astra nuntium
illi attulit, cum beatissime obdormienti benignissimus asstitit, cum divi -
nissimam animam, Archangelicis manibus in Empyrea regna deportatam, ad suam
dexteram collocavit, cum eidem sanctissimae animae purissimum corpus adiunxit
ac tanta utrumque gloria decoravit, quanta in caelo post ipsam Beatissimam
Triadem nullus perfruitur.

Iam deduximus, at nescio quomodo, Sod. Mar., V. MARIAM ad caeleste
domicilium, sequi illam animus inardescit et ibi flagrat consistere, ubi
suavissimum caeli terraeque Delicium conquiescit. Sed nemo MARIAM in caeli
arce visurus est, qui in terrestri domicilio non fuerit imitatus, quive illi
non summo affectu semper inservierit. Itaque cum Ambrosio loquor orationi fi-
nem imponens: Sit vobis tanquam in imagine descripta Virginitas Vitaque
B. MARIAE, de qua, veluti speculo, refulget species castitatis et forma virtu-
tis. Hinc sumatis exempla vivendi, M. Sod. ubi, tanquam in exemplari, magi -
steria expressa probitatis, quid corrigere, quid fugere debeatis, ostendunt.
Primus discendi ardor nobilitas est magistri; quid nobilius DEI Matre ? quid
splendidius ea, quam splendor elegit; quid castius ea, quae corpus sine cor-
poris contagione generavit ? Talis fuit MARIA, ut eius unius Vita omnium sit
disciplina. Si igitur author non displicet, opus probemus, ut quicumque sibi
eius exoptat praemium, imitetur exemplum.

C A P U T II

De Vituperatione.

1. Vituperatio est sermo explicans mala, quae alicui personae vel
rei sunt insita. Opposita est laudationi, totidemque locis quot illa, sed pla-
ne contrariis constat.

2. Primo si hominem vituperes, genus ipsius obscurum, sordidumque
dices, quod si clara fuerit stirpe, asseres eum a suis maioribus degenerasse.

3. Vituperabis illum ab educatione mala; sin vero bonam educatio-
nem habuit, ostendes eum huic non respondisse, ac tanquam fetido vasi odori-
ferum liquorem infusum corruptum esse.

4. Virtutibus vitia oppones; quodsi horum nulla vestigia relique-
rit, probabis illum promptissimum quidem fuisse in vitia, sed ea patrandi
occasionem defuisse.

5. Gesta illius improba, nefaria, saeva, detestanda monstrabis, quorum etsi quaedam fuerint recta, pravorum tamen multitudine obruta et obscurata dice-
ces.

6. Comparabis illum similis farinae hominibus, quos penitus ab eo nequitia superatos ostendes.

7. Epilogum facies dehortando omnes ab eius imitatione, sed memineris etiam ad ipsam vituperationis seriem, quod supra non monui, proaemio accedere laudationi contrario. — Ceterum puncta Rerum vituperationis, ut locorum, temporum et similium (quidquid enim laudari hoc et vituperari potest) facile ingenium suppeditabit, quod quidem tam promptum est ad vituperationem, ut etiam bona reprehendat, praesertim si cor alicui male sit affectum.

P r a x i s

M. Tullii Ciceronis non a Sallustio, sed
ab aliquo declamatore facta vituperatio.

Graviter et iniquo animo maledicta tua patērer, M. Tulli, si te scirem iudicio magis quam morbo animi petulantia ista uti. Sed cum in te neque modum, neque modestiam ullam animadverto, respondebo tibi, ut si quam maledicendō voluptatem coepisti, eam male audiendo amittas. Ubi querar, quos implorem, Patres Conscripti, diripi Rempublicam atque audacissimo cuique esse perfidiae locum? an apud P. R., qui ita largitionibus corruptus est, ut sese et fortunas suas venales habeat? an apud vos, P. C., quorum autoritas turpissimo cuique et sceleratissimo ludibrio est? ubi M. Tullius leges, iudicia P. R. sic defendit atque in hoc ordine moderatur, quasi unus reliquus ex familia viri clarissimi, Scipionis Africani, ac non irreptitius accitus et paulo ante insitus huic Urbi civis. An vero, M. Tulli, facta ac dicta tua obscura sunt? an non ita a pueritia vixisti, ut nihil flagitiosum corpori tuo putares, quod alteri collibuisset? An scilicet istam immoderatam eloquentiam apud M. Pisonem non pudicitiae iactura perdidicisti? Itaque mirandum non est, si eam flagitiose venditas, quam turpissime parasti.

Verum, ut opinor, splendor domesticus tibi animos attollit: uxor sacrilega ac periuriis delibuta, filia matris pellex tibi iucundior atque obsequentior, quam parenti par est. Domum ipsam tuam vi ac rapinis funestam tibi ac tuis comparasti, videlicet ut nos commonefacias, quam conversa esset Respublica, cum in ea domo habitares, homo flagitiosissime, quae P. Crassi, viri consularis, fuit. Atque cum haec ita sint, tamen si Cicero dicit, in deorum immortalium concilio fuisse, inde missim huic urbi civibusque custodem absque carnificis nomine, qui civitatis incommodum in gloriam suam ponit. Quasivero non illius coniurationis causa fuit consulatus tuus et idcirco Respublica disiecta eo tempore, quod te custodem habebat. Sed, ut opinor, illa te magis extollunt, quae post consulatum cum Terentia uxore de Republica consuluisti: cum legis Plautiae iudicia domi faciebatis, cum ex coniuratis alios morte, alios pecunia condemnabas, cum tibi alius Tusculanum, alius Pompeianam villam aedificabat, alius domum emebat, qui vero nihil poterat, is erat calumniae proximus, is aut domum tuam oppugnatum venerat, aut insidias Senatui fecerat, denique de eo tibi compertum erat.

Quae si tibi falsa obicio, redde rationem quantum patrimonii acceperis? quid tibi litibus accreverit? qua ex pecunia domum paraveris? Tusculanum et Pompeianum infinitis prope sumptibus aedificaveris? aut si

retices, cui potest esse dubium, quin opulentiam istam ex sanguine et miseris hominum paraveris? Verum, ut opinor, homo novus, Arpinas, ex M. Crassi familia, eius virtutum imitator, contemnit similitudinem hominum nobilium, Republicam caram habet, neque terrorem, neque gratia commovetur. Illud vero amicitiae tantum ac virtutis est animi, immo vero homo levissimus, supplex inimicis, amicis contumeliosus, modo harum, modo illarum partium, nemini fidus, levissimus Senator, mercennarius patronus; cuius nulla pars corporis a turpitudine vacat; lingua vana, manus rapacissimae, gula immensa, pedes fugaces, quae honeste nominari non possunt, inhonestissima.

Atque is, cum eiusmodi sit, tamen audet dicere: "O fortunatam natam me consule Romam!" Te consule fortunatam, Cicero! immo vero infelicem et miseram! quae crudelissimam civium proscriptionem passa est, cum tu, turbata Republica, metu percussos omnes bonos parere crudelitati tuae cogebas; cum omnia iudicia, omnes leges in tua libidine erant; cum tu, sublata lege Porcia, erepta libertate, nostrum omnium vitae necisque potestatem ad te unum revocaveras. Atque parum est, quod impune fecisti, verum etiam commemorando exprobras, neque licet oblivisci servitutis suae. Egeris, oro te, Cicero; perfeceris quod libet; satis est perpressos esse, etiam ne aures nostras onerabis tuo odio? etiamne molestissimis verbis insectabere? Cedant arma togae, concedat laurea linguae. Quasi vero togatus et non armatus, quae gloriaris, perfeceris atque inter te Sullamque dictatorem praeter nomen imperii quidquam interfuit.

Sed quid ego plura de tua insolentia commemorem? quem Minerva omnes artes edocuit, Iupiter Opt. Max. in concilium Deorum admisit, Italia exulem humeris suis exportavit. Oro te, Romule Arpinas, qui egregia tua virtute omnes Paulos, Scipiones, Fabios superasti, quem tandem locum in hac civitate obtines? quae tibi partes Reip. placent? quem amicum, quem inimicum habes? cui insidias in Civitate fecisti, ancillaris? quo iure, cum de exilio tuo Dyrrachio rediisti, eum sequeris? quos tyrannos appellabas, eorum nunc potentiae faves? qui tibi ante optimates videbantur, eosdem nunc dementes ac furiosos vocas? Vatini causam agis? de Sexto male existimas? Bibulum petulantissimis verbis laedis? laudas Caesarem? quem maxime odisti, ei maxime obsequeris? aliud stans, aliud sedens de Rep. sentis? his maledicis, illos odisti, levissime transfuga, neque in hac, neque in illa parte fidem habens.

C A P U T III.

De Imitatione.

1. IMITATIO est Oratio, qua vel homines tam vivos, quam mortuos, vel res mutas et informes, loquentes representamus.

2. Tres Imitationis species habentur. Prima est, quam Graeci Proso-popaeiam vocant, cum rebus inanimatis personam orationemque tribuimus. Secunda est, quae Graecis Idolopaeia dicitur, qua notam, se mortuam personam loquentem introducimus. Tertia graecoedicta Ethopaeia, Latine morum affectuumque alicuius expressio, sive inductio personae vivae loquentis.

3. Ethopaeia haec dividitur in Passivam, quae tantum explicat affectus e.g. quae verba fecerit Pompeius, Pharsalico proelio victus. Et in Activam, quae solummodo circa mores versatur e.g. Quid diceret homo belli ignarus, aliquem immensum exercitum primo conspiciens. Et in Mixtam, qua simul cum moribus affectus imitatur, e.g. quid sermonis haberet quispiam, inoptinata vel amici

vel propinqui alicuius morte inspecta, aut in simili aliquo casu.

4. Hae omnes species sub unius Imitationis genere comprehenduntur, tribusque capitibus progymnasticè tractantur, nempe tempore praeterito, praesenti et futuro. Nam si aliter tractentur, figurarum nomen obtinebunt oratoribus usitatissimarum.

P r a x i s I.

Cicero Patriam loquentem secum
imitatur. (in Cat. or.1)

Marce Tulli, quid agis? tu ne eum, quem esse hostem comperisti, quem ducem belli futurum vides, quem exspectari Imperatorem in castris hostium sentis, auctorem sceleris, principem coniurationis, evocatum servorum et civium perditorum exire patieris, ut abs te non emissus ex urbe, sed immisus in urbem esse videatur? nonne hunc in vincula duci, non ad mortem rapi, non summo supplicio mactari imperabis? quid tandem impedit te? mos ne maiorum? at persaepe etiam privati in hac Rep. perniciosos cives morte mulcunt. An leges, quae de civium Rom. Supplicio rogatae sunt? at nunquam in hac urbe ii, qui a Rep. defecerunt, Civium iura tenuerant. An invidiam posteritatis times? praeclaram vero populo Rom. refers gratiam, qui te hominem per te cognitum, nulla commendatione maiorum, tam mature ad summum imperium per omnes honorum gradus extulit, si propter invidiam, aut alicuius periculi metum, salutem Civium tuorum negligis. Sed si quis est invidiae metus, num est vehementius severitatis ac Fortitudinis invidia, quam inertiae ac nequitiæ pertimescenda? An dum bello vastabitur Italia, vexabuntur urbes, tecta ardebunt, tum te non existimas invidiae conflagratum.-

P r a x i s II.

Virgilius Aeneid.5. Anchisem mortuum Aenae
colloquentem effingit. (724 - 739).

Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Care magis, nate, Iliacis exercite fatis.
Imperio Iovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit et caelo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quae nunc pulcherrima Naves
Dat senior: lectos iuvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam; gens dura, atque aspera cultu
Debellanda tibi Latio est. Ditis tamen ante
Infernas accede domos et Averna per alta
Congressus pete, Nate, meos. Non me impia namque
Tartara habent, tristesque umbrae, sed amoena piorum
Concilia Elysiumque colo. Huc casta Sybilla
Nigrantum multo pecudum te sanguine duet.
Tum genus omne tuum et quae dentur moenia disces.
Iamque vale; torquet medios nox humida cursus
Et me saevus equis Oriens afflavit anhelis.

Nota non ex verbis, sed ex sensu tempus in imitatione colligi, quod in exemplo allat, patet, cum "Accede infernas" etc. est praesens imperativi, nihilominus est sensus futurus talis: "Infernas domos accedes."

P r a x i s I I I .

Cicero Milonem in exilium abeuntem sic ethopaeite
introducitur. (34, 93-94).

Valeant, valeant Cives mei, sint florentes, sint beati, stet haec
urbs praeclara, mihique Patria carissima, quoquo modo merita de me erit;
tranquilla Republica cives mei ! (quoniam mihi cum illis non licet) sine me
ipsi, sed per me tamen perfruantur. Ego cedam atque abibo. Si mihi Rep. bona
frui non licuerit, at carebo mala et quamprimum tetigero bene moratam et li-
beram civitatem, in ea conquiescam. O frustra suscepti mei labores ! o spes
fallaces ! o cogitationes inanes meae ! Ego, cum Tribunus pl. Rep. oppressa me
Senatui dedissem, quem extinctum acceperam, Equitibus Romanis, quorum vires
erant debiles, bonis viris, qui omnem auctoritatem Clodianis armis abiece-
rant, mihi unquam bonorum praesidium defuturum putarem ? Ego, cum te, M. Tulli,
Patriae reddidissem, mihi non futurum in Patria putarem locum. Ubi nunc Se-
natus est, quem secuti sumus ? ubi Equites Rom. illi, illi tui ? ubi studia
municipiorum ? ubi Italiae voces ? ubi denique tua, M. Tulli, quae plurimis
fuit auxilio, vox et defensio ? mihi ne ea soli, qui pro te toties morti me
obtuli, nihil potest opitulari ? Nota. Haec exempla imitationis, ex Cic. pro-
ducta, ad figuram potius, quam progymnasmatam spectare; sed quia progymnasma-
tica in illis omnia praecepta sunt adhibita, facile ex brevioribus licet,
longiorem quivis imitationem formare poterit.

C A P U T I V .

De Comparatione.

1. Comparatio est oratio, ex collatione rerum comparatarum aliquid vel
maius, vel minus, vel aequale declarans. Haec autem praeclarior est, quo plus
elogiorum continet, quam vituperationis.

2. Omnes illae res, quae laudis ac vituperationis capaces possunt esse,
comparari possunt, ut: personae, loci, tempora, bruta, plantae, scientiae,
gesta et similia.

3. Denique, cum variae res variis modis invicem conferantur, personae
certe hos certos comparationis habent locos: Exordium, Patriam, parentes,
educationem, res gestas, mortem.

P r a x i s I .

Cicero honores suos cum Pisonianis
comparat.

Is mihi etiam gloriabitur, se omnes magistratus sine repulsa assecutum ?
nihil ita licet de me vera cum gloria praedicare. Omnes enim honores Populus
Romanus mihi ipsi (homini novo), detulit. Nam tu, cum Quaestor es factus, etiam
qui te nunquam viderant, tamen illum honorem nomini mandabant tuo. Aedilis es
factus ? Piso est a Populo Romano factus, non iste Piso. Praetura item maio-
ribus est delata tuis; non erant illi mortui, te vivum nondum noverat quisquam.

Me cum Quaestorem imprimis, Aedilem priorem, Praetorem primum cunctis
suffragiis Populus Romanus faciebat, homini ille honorem non generi, moribus,
non maioribus meis, virtuti perspectae, non auditae nobilitati deferebat.

Nam quid ego de consulatu loquar? parte vis? ane gesto? Miserum me, cum haec me peste atque labe confero! Sed nihil comparandi causa loquar, attamen ea, quae sunt longissime distincta, comprehendam. Tu consul es renunciatus (nihil dicam gravius, quam quod omnes fatentur) impeditis reip. temporibus, dissidentibus consulibus, Caesare et Bibulo, cum hoc non recusares, quin ii, a quibus dicebatur Consul, te luce dignum non putarent, nisi nequior Gabinio exstitisses; me cuncta Italia, me omnes ordines, me universa Civitas, non prius tabella, quam voce priorem consulem declaravit.

Sed omitto, ut sit factus uterque nostrum; sit sane Fors Domina campi: Magnificentius est dicere, quemadmodum gesserimus consulatum, quam quemadmodum ceperimus.

Nota. Praeclarissimam ulterius in illa oratione Tullii contra Pisonem comparationem gesti consulatus etc. contineri, quam tibi omnino legendam suadeo. Vide quoque apud Plutarchum non paucas illustrium virorum comparationes, plane progymnasticas, hoc est ad amussim praesentium praeceptorum factas.

P r a x i s II.

Comparatio Poesis cum Rhetorica

Saepe me plurimorum torquet inanis zelus, Aud.hum., qui Poesim, artium nulli secundam, tantopere condemnant, ut neminem putent melius licet arare, quam qui huic diligentem operam impendit. An non vident, capti lumine Tyresiae, nunquam minus suavitatis, acuminis, motus delectationisque divinae Poesi insertum esse, quam quae ab omnibus celebratur, bene dicendi facultati? Quamobrem, ne quoque vos, Aud.hum., non paucorum sententiis praevalentibus aliquid sinistri de priorsus arte celeberrima sentiatis, constitui huic rei luce hodierna occurrere. Quod tum efficiam, cum certis argumentis ostendam, nunquam sacram Poesim oratoriae facultati inferiorem, parem semper existere. Facile vos id mihi concessuros existimo, si brevi spatio facilem mihi audiendi benevolentiam concedetis.

Igitur nemini vestrum, Aud.hum. non exploratum est, artem illam copiose loquendi, quam cum Graecis Rhetoricen appellamus, Deorum inventum esse. Si enim sapientissimis veterum testimoniis credimus, illam a Mercurio, superiorum facundissimo, profectam fuisse animadvertemus. Huic namque Deorum gentilis antiquitas tamquam Patri eloquentiae honores decernebat; hunc Iovis nuntium, quod munus non nisi eloquentissimis etiam apud mortales imponitur, vocabat; hunc disertissimum et diserte verba faciendi primum summumque doctorem profitebatur. Quodsi iam fictis probabilibus tamen gentilium documentis uti incoepimus, ulterius insistemus, quis non Poesim quoque ex caelo ortum ducere asserat? quis non Apollinis inventum eam esse confirmet, qui Deus Poetarum colebatur, qui Parnasso praesidebat, qui Musas dirigebat, cuius proprium munus erat divino spiritu poetas, quos vellet, implere, unde recte horum Princeps:

At sacri Vates et Divorum cura vocamur;
Sunt etiam qui nos Numen habere putant;
Est Deus in nobis, sunt et commercia caeli,
Sedibus aethereis spiritus ille venit,
Est Deus in nobis, agitante caelestibus illo,
Impetus hic sacrae semina mentis habet.

Adstipulator magno Poetae summus philosophorum Plato, qui poetas deorum filios honorificentissime nuncupavit. Quocirca pari iure hac in parte Poesim cum Rhetorica gaudere videmus neque etiam longius progressi dispares deprehendimus. Artis illius, quae solutis fertur pedibus, officium scimus esse bene dicere, quod est verbis lectissimis optimisque sententiis dicere. Quid horum Poesis non habet? ubi elegantior est praeter quam in Poesi elocutio? ubi magis venusta dictio? ubi frequentiores gravioresque gnomae? nunquam profecto melius, copiosius, ornatiusque bonus Orator vero Poeta dicit. Ipse primus oratorum Princeps, Tullius, haec de re disserens: Genus id orationis, inquit, magnitudinem habet et sublimitatem ita, ut Rhetoricae elocutionis et artis dicendi fons sit ipsa poetica. Habet deinde ars dicendi tria illa talenta pretiosissima, docendi, ornandi persuadendique. Causarum genera Rhetores nominarunt, multum valet in iudiciis, multum in Senatu, multum in omni actione et loco; defendit insontes, accusat reos, ornat meritos, vituperat improbos, rudes instruit, nolentibus etiam quod velit persuadet.

Atqui dotibus istis pulcherrimis, istis admirabilibus talentis, Poesim minime carere censemus. Potest illa, potest, cum velit, dicere clarissime, laudare maxime, optime persuadere. Potest insontes tueri, damnare noxios, elogiis bonos extollere, indignos vituperare, invitos ad honestum, ad quamvis virtutem impellere, adigere, attrahere. Non id sine exemplis assero. Lego enim unum ex Graeciae poetis, cum ligatis numeris causam absolvisset, triumphum reportasse. Lego eundem, cum divinae poeseos esset percitus oestro, versibus ad pugnam milites fuisset adhortatus, victoriam retulisse. Lego denique innumeros heroes in aeternis poetarum monumentis semper vivere, nec aliter ad posterum transire posse, nisi pedibus versuum fulciantur; ut merito Venusinis ille gloriatur:

Non incendia Carthagini impiae
Eius, qui domita nomen ab Africa
Lucratus rediit, clarius indicant
Laudes, quam Calabriae Pierides, neque
Si chartae sileant, quod bene feceris,
Mercedem tuleris.

Quippe dignum laude Virum Musa vetat mori. Quod cum ita sit iam ex his colligimus, A.H., communia poesim cum arte dicendi genera habere, immo communia ornamenta, communes argumentorum sedes, paribus motibus et affectibus triumphare. Sed dices: Poetarum genus semper fuisse vilissimum, contra nobilissimum quemquam oratoriae facultati incubuisse. O virum historiarum peritissimum! Non legisti unquam Romanorum Imperatores poesi fuisse deditissimos? Ignoras Iulium Caesarem, bellicosissimum illum virum, poema, quod inscribitur "Iter", laudes Heroulis, Tragoediam Oedipi a se compositam reliquisse? Ignoras Augustum, prioris adoptivum, unum librum Hexametrorum, cui titulos "Siciliae", alium epigrammatum edidisse? Ignoras Tiberium carmen Lyricum, Graecaque Poemata non incompta factitasse? Ignoras Neronem (nihil obsit, quaeso, arti mitissimae studiosi crudelitas) ignoras Neronem Caesarem talem fuisse poetam, cuius carmina, aureis litteris expressa, Capitolino Iovi dedicata fuerunt) Quid? Vespasianus tibi graecos versus factitasse non lectus est? Titum quem "Delicias humani generis" Antiquitas nominabat, in fingendis poematis et ad extemporalitatem usque fundendis fuisse facilimum non audisti?

Ac, ut veteres omittam, recentioris aevi Joannem Secundum, Aragoniae Regem, non solum mirifice poesi fuisse oblectatum, sed etiam continuo occupatum, non tibi innotuit? Habe igitur, poeseos inimice, cultores iacul-

tatis huius celeberrimae non e vulgo homines, at Reges cum Imperatoribus, qui aequale omnino studium tam dicendi, quam canendi disciplinae impenderunt. Nunc vero venio ad honores illos, quibus utriusque huius artis candidati adornantur. Atque primum video palma fuisse ab antiquis oratores coronatos, deinde statuis cultos. Solae Athenae, omnium scientiarum emporium, soli Demetrio Phaleræo trecentas et sexaginta statuas ob cultum Eloquentiae memorantur erexisse. Sed et Populus Romanus Proaeresio, viro eloquentissimo, praestantissimam effigiem cum hac inscriptione: REGINA RERUM ROMA PROAERESIO REGI ELOQUENTIAE dedicasse narratur. Verumenim vero non minus poetas, quam oratores, tam veteri, quam nostra aetate cultos fuisse perspectum est. Illi enim palmam, isti laurea honoris gratia recipiebant. At neque statuis privabantur ingeniosissimi viri, cum vel ille minus tersus Ennius in Africani sepulchro marmoream effigiem habuerit. Quid Homerus? nonne templum suo nomini dedicatum, velut Deus aliquis, obtinuit? nonne tanti ad Alexandro Magno orbis Domino aestimatus est, ut sinu huius teneretur, manu tereretur, pretiosissimo thesauros inter Darii reperto scriniolo asservaretur? Non praeteribo meum Sarbievium, cui licet inter frigora Sarmatica nato, nihilominus ita vena caluit, ut par Horatio dicatur; idemque ab invictissimo Rege Vladislao, quem dicimus quartum, doctorali laurea insertum, anulum honoris ergo reportavit; idem a sapientissimo sanctissimoque Pontifice URBANO, eius nominis octavo, non postremo honore mulctatus est. Felix poeta, cuius in lyra, verius quam in alicuius ore, non aliae quam Barberinae Apes suavissime mellificarunt.

Non memoro caetera praemia, quae divinae poeseos cultores maxima a variis receperunt; illud tantum dico, aequali hanc semper cum oratoria facultate honore fuisse cultam et exornatam. Hoc historiarum plurima monumenta comprobant; hoc nemo, nisi forte plenus invidia, vel omni carens iudicio, negare potest. Sit igitur apud vos, A.H. et sap., tanta in aestimatione sanctae disciplinae studium, ut non minorem ei laudem tribuatis, quam copiosius dicendi facultati soletis tribuere, neque aliter ullum posse ad summum eloquentiae fastigium ascendere, quam per huius gradus disciplinae, quae non solum verborum copiam suppeditat, verum etiam profundioris arcana Philosophiae pandit, iudicetis.

Denique, unius esse parentis Filias germanas, omnino sorores cum Poesi Rhetoricen universis praedicabitis. Ex quo fiet, ut pari diligentia ad eas incumbentes in utraque tandem facultate tantum vestra persuasi commendatione Artium liberalium Cultores profectus sint facturi, quantum ad eorum multorumque oblectationem, quantum ad literariae Reipublicae utilitatem, quantum denique ad harum Artium aestimationem pertinebit.

C A P U T V...

De Descriptione.

1. DESCRIPTIO est sermo diductus, quo res ita exprimitur, ut ante oculos esse collocata videatur. Habet hoc progymnasma tantum delectationis, ut quicumque historicorum aut poetarum descriptionibus non abundet, non modo feivus et siccus, at etiam iudicetur ingratus esse. Quippe dulcedinis est et verborum sedes descriptio.

2. Ordo hic servandus in descriptione, ut a primo incipiatur et in ultimum desinat. Sic hominem a vertice, arborem a summitate, montem a cacumine describere incipies et sic ut in his, ita in similibus, quandoque certas ob causas praeposterus ordo quaeratur esse.

3. Quae laudari et comparari possunt, eadem describi solent, quin immo nihil est in universitate rerum, in quo describendo humanum ingenium nequeat eminere. Itaque personae, loca, tempora, pugnae, regiones, urbes, palatia, montes, horti, flumina, animalia, flores, aliaeque res cadunt in descriptionem, quae tanto erit commendatior, quanto exquisitioribus et accommodatioribus verbis eam conficies.

P r a x i s I.

Caesaris Augusti persona describitur.

Forma fuit eximia Augustus et per omnes aetatis gradus venustissima, quamquam et omnis lenocinii negligens et in capite comendo tam incuriosus, ut raptum compluribus tonsoribus operam daret ac modo tonderet, modo raderet barbam, eoque ipso tempore aut legeret aliquid, aut etiam scriberet. Vultu erat, vel in sermone, vel tacitus, adeo tranquillo serenoque, ut quidam e primoribus Galliarum confessus sit inter suos, eo se inhibitu ac remollitu, quominus, ut destinarat, in transitu Alpium per simulationem colloqui propius admissus, cum in praecipitium propelleret. Oculos habuit elatos ac nitidos, quibus etiam existimari volebat inesse quiddam divini vigoris, gaudebatque, si quis sibi acrius contuenti quasi ad fulgorem solis vultum summitteret; sed in senecta sinistra minus vidit. Dentes raros et exiguos et scabros, capillum leviter inflexum et sufflavum; supercilia coniuncta, mediocres aures, nasum et a summo eminentiorem, et ab imo diductiorem, colorem inter aquilum candidumque. Staturam brevem, quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinque pedum et dodrantis fuisse tradit; sed quae commoditate et aequitate membrorum occuleretur, ut non nisi ex comparatione adstantis alicuius procerioris intelligi posset.

P r a x i s II.

Describitur Altare Bergense S. Winoci,
per quendam Relig. Capuc. fabre
factum, ab Antonio a Burgundia
Brugen. Can. et Archid. in Epist.

Qui unus et idem creatis in omnibus semper est Deus, nusquam tam unice varius increatae suae pulchritudinis vestigia figit et imprimit, quam in vilibus conchyliorum testis, quas ex informi penitus elemento, tametsi sine semine, formae tamen numero pariter et elegantia prodigiosas, ignota mortalibus arte, quotidie format. Etenim si qua Plinio, naturae divino prorsus haruspici, fides, sunt illis tot colorum differentiae, tot figurae planis, concavis, longis, lunatis, levibus, rugatis, reticulatis, striatis, denticulatis, in orbem circumactis, medio orbe caesis, in dorsum elatis, brevi modo ligatis, solo latere conexis, ad plausum apertis, ad bucinam recurvis, vertice muricatum intorto, margine in mucronem emisso, foris effuso, intus replicato, ut nativam earum fabricam admirari facilius possis, quam arte vel ingenio consequi. Superant profecto quamlibet hominis industriam, superant manum, ne dicam fidem.

Verum quod a mensibus non ita multis vidi Bergis S. Winoci altare, ad symmetricas architecturae rationes ex sola conchyliorum varietate per quendam e D. Francisci familia (Capuccinos vocitant) religiosum non ingenioso minus, quam felici labore perfectum. Id non modo fidem omnem superat; sed muta

qua valet eloquentia praeter haec fierinos cogit, quod artis humanae subsidio sit ipsa divina diviniore. Referebat peristylum tota substructio, hierotheca podium, scenam pavementum, opus intestinum omnia, subinde tamen reticulatum, subinde coronarium. Non deerat suum azaroto pavimento testaceum, marmor e rudere, non tesserae, non scutulae, non favi, non emblemata; erat structilibus columnis stylobata, erat spira, erat plinthus, erat astragalus, erat torus, erat scapus, erant stryges, erat epistylum, erat pulvinus, erant volutae, ornabant Zophorum, mutili, triglyphi, guttae, metopae, taeniae; efferebant cymatia, prolecturae, efferebant podium lorica, penetrabat transenna, fulciebat telamon, vallabant acroteria, suspendebat tholus, tegebant lamellae.

Illustrabant insuper pegmatam nobile, candelaborum paria, si meminimus quatuor; sede e conchis similiter tam affabre elaborata, ut Alcoris aut Mentoris toreuma putares. Praetexebat vero totius basim operis peristroma tam insolens, ut quos habebat e conchyliis florum implexus, vel nativos omnino crederes, vel doctissima Phrygionis acu ad miraculum usque depictos. Videres hic ex iride, narcisso, rosa, ligustro, pulsatilla, lychnide et leucococo servias; videres ex sanicula, philosella, xyride, balaustiis, anemone, garyophyllis poeoniaque lemniscos; videres florum genus omne, suis cum pericarpis, geniculis, finibus, umbellis et nymphis. Quid plura? videres haec omnia et nihil tamen, nisi viles concharum atregias prae manibus haberes et oculis. Usque adeo Alcetes hic in tam informi materia omnes omnium artium formas eleganter expresserat et uno in opere se architectum, polionem, flammearium, tornionem, polymitarium, phrygionem aurificemque monstrarat.

P r a x i s III.

Describitur mons Appenninus
a Lucano, Phars.lib.2.

Mons inter geminas medius se porrigit undas
Inferni superique maris, collesque coercent.
Hinc Tyrrhena vado frangentes aequora Pisae,
Illinc Dalmaticis obnoxia fluctibus Ancon.
Fontibus hic vastis immensos concipit amnes
Fluminaque in gemini spargit divortia ponti
(In laevum cecidere latus veloxque Metaurus
Crustumiumque rapax et iuncto Sapis Isauro
Senaque et Hadriacas qui verberat Aufidus undas;
Quoque magis nullum tellus se solvit in amnem
Eridanus fractas devolvit in aequora silvas
Hesperiamque exhaurit aquis.
Hunc fabula primum
Populea fluvium ripas umbrasse corona,
Cumque diem pronum transverso limite ducens
Succedit Phaeton flagrantibus aethera loris,
Gurgitibus raptis penitus tellure perusta;
Hunc habuisse pares Phoebis ignibus undas.
Non minor hic Nilo, si non per plana iacentis
Aegypti Libycas Nilus stagnaret harenas;
Non minor hic Histro, nisi quod, dum permeat orbem,
Hister casuros in quaelibet aequora fontes
Accipit et Scythicas exit non solus in undas.

Dexteriora petens montis declivia Thybrim
Unda facit Rutubamque cavum; delabitur inde
Vulturinusque celer nocturnaeque editor aurae
Sarnus et umbrosae Livis per regna Maricæ
Vestinis impulsus aquis radensque Salerni
Tescæ Siler nullæque vado qui Macra moratus
Alnos, vicinæ procurrat in aequora Lunæ).
Longior educto qua surgit in aera dorso,
Gallica rura videt devexasque excipit Alpes.
Tunc Umbris Marsisque ferax domitusque Sabello
Vomere, piniferis amplexus rupibus omnis
Indigenas Latii populos, non deserit ante
Hesperiam, quam cum Scyllaeis clauditur undis,
Extenditque suas in templa Lacinia rupes;
Longior Italia, donec confinia pontus
Solveret incumbens terrasque repelleret aequor;
At, postquam gemino tellus elisa profundo est
Extremi colles
Siculo cessere Peloro

P A R S II.

DE GENERALI ET PARTICULARI
quiusvis Orationis artificio

C A P U T I.

De Rhetoricis praeludis.

1. RHETORICA est Ars, quae docet bene dicere. Dividitur in Docentem, quae traditur intra scholarum parietes, informans Auditorem, et in Utentem, quae fere in foro publicisque conventibus locum habet ac practicatur; estque Eloquentiae nomen sortita, cui artis bene dicendi convenit definitio.

2. Ars est (iuxta Cic. 1 de or.) quae cognitis penitusque perspectis ^{et} in unum exitum spectantibus et nunquam fallentibus rebus contineretur.

3. Artes sunt duplices: Liberales 7, hoc versiculo comprehense: Sermo, tropus, ratio, numerus, tonus, angulus, astra. Mechanicae item 7, hoc pentametro, expressae: Rus, nemus, arma, faber, vulnera, lana, ratés.

4. Officium Rhetoricae docentis est docere dicere apposite sive ad orandum, sive ad docendum, sive ad persuadendum; utentis - ornare, docere, persuadereque dicendo.

5. Finis Rhetoris est bonis et sufficientibus praeceptis suis oratorem informare; Oratoris internus finis est bene dicere, externus - id assequi dictione, quod intendit mente, quam equidem non semper consequitur. Bene dicere autem est verbis lectissimis sententiisque gravissimis, servato prorsus artificio dicendi rem exprimere.

6. Rhetorica naturalis infusa est primo nostrum omnium Parenti a rerum omnium Conditor, qui ipsi os sublime dedit, linguam affixit, pectus afflavit spiritu, his ut tribus ad facienda verba uteretur. Artificialis primo adscribitur Mercurio, deinde Aristoteli, postremo Ciceroni, qui sine controversia non solum primus et praecipuus eloquentiae Latinae est praeceptor, sed etiam parens.

7. Dignitas eloquentiae ex Causino est petenda, qui eam semen caeli, ex aeterni luminis fonte delibatum radium, affinem divinae Maestatis, reginam denique terrarum vocat, ne tu mireris a me Reginam Artium appellatam.

8. Utilitas huius artis ex Tacito sumenda, qui eam dicit parare simul et tueri amicitias, adsciscere nationes, complecti provincias, praesidio esse amicis, terrori inimicis, spem ferre periclitantibus, multis salutem dare.

9. Praestantiam eloquentiae apud Tullium habes, qui suo in Oratore ea de sic disserit: Neque vero quisquam praestabilius est, quam posse dicendo tenere hominum coetus, mentes allicere, impellere quo velis voluntates, unde autem velis deducere.

x/ A nie "continetur" przyjmują wydania Ellendta oraz Wilkinsa: Cicero, De Oratore, I, 20, 92.

10. Vis eloquentiae ostenditur in fabulis Orphei, qui lymphas cantu suo dicitur suspendere solitus fuisse, Amphionis, qui saxa ad extruendas Thebas traxisse narratur; Herculis, qui catena aurea ex ore pendente innumeram multitudinem hominum post se ducens et fingitur et pingitur. Quae fuctiones vere non nisi eloquentiae vim designant.

11. Necessariam esse eloquentiam humano generi non minus quam solem, ignem, aquam, aerem et oculos in corpore defixos quis nescit.

12. Materia sive obiectum Rhetoricae Docentis sunt ipsa praecepta orationis; Utentis est questio ad dicendum proposita.

13. Differentia inter grammaticam et rhetoricam qualis inter dicere et loqui; inter dialecticam vero qualis inter contractam et diductam manum; at inter eloquentiam, qualis inter solem et lunam, ut enim haec lumen a sole, sic eloquentia a Docente rhetorica praecepta, quibus inclarescit mutuatur.

14. Ad comparandam eloquentiam tria sunt adiumento: Natura bene ordinata, Exercitatio assidua, Lectio poetarum, historicorum, oratorum aliorumque probatissimae doctrinae simul ac virtutis scriptorum diligentissima. Addo quartam, Imitationem, qua tamen a furtis et puerilibus ineptiis cavendum est.

15. Quaestio, status, criminomenon et causa oratori ad dicendum accessuro bene sunt cognoscenda et expendenda.

16. Quaestio est duplex. Altera finita, Graecis hypothesis, cum adhibitis circumstantiis aliquid quaeritur, ut: An Poloni suas urbes debeant moenibus circumdare? Altera infinita, Graecis thesis, cum quidpiam generaliter, absque circumstantiis ullis, adducitur in disceptationem, ut: An urbes moenibus circumdandae sint? Nascitur autem questio ex duabus propositionibus contradictoriis, e.g. Dicunt quidam: Inutilem esse poesim. Alii contra: Poesim asserunt esse utilissimam. Ex his duabus contradictoriis propositionibus oritur questio: Utrum sit utilis Poesis? NOTA hic quandoque Thesim ad Hypothesim revocari, quod a Cicerone in Archiae poetae patrocinio praestitum est.

17. Status Cause, sive Constitutio, est, cum quaestiones contrariae stant in conflictu, donec dirimantur. Triplex hic statuitur. 1. Coniecturalis, in quo, factumne sit? quaeritur ab aliquo signo manifesto, aut a suspitione, aut ab utroque, ut: Noctu armatus gladio et sclopo domo prodiit; subito explosio audita est. Quis ergo dubitet, ab isto hominem in foro traiectum esse globo? Sic Cicero ex certis signis et coniecturis probat, Clodio Miloni fuisse structas insidias. - 2. Definitionis sive Nominis, in quo sit questio, quomodo aliquid appellandum, seu definiendum sit? aut quid sit? ut: Tyrannidem an Iustitiam exercuit Cicero Romanos cives in carcere strangulando? - 3. Qualitatis: in quo, quale sit aliquid? vel, qualiter agendum? interrogatur, ut: An Ethica speculativa sit, vel practica scientia? Item: Terrane potius, an mari, an utrinque Turcae sint invadendi? Dividitur hic Status in Absolutum, in quo aliquid absolute, non sumptis aliunde rationibus, defenditur. Et in Assumptivum, ad quem extrinsece rationes arcessuntur. Reliqui Status, de quibus Cicero in Rhetoricis, huc ad positos revocandi sunt.

18. Crinomenon (Latinis Iudicatio, Controversia etc.) est id, quod maxime Auditor in oratione, quam audit, attendere, cognoscereque debet, ut

convenientem sententiam de re proposita ferre possit. Hoc nonnunquam idem cum propositione, aliquando ab ea distinctum est, uti eleganter et clare docet eruditus Pater Lauxmin in Praxi Oratoria c.5 q.4.: Asseres tum Propositioni Crinomenon adiungi, cum ea caret uno argumento principali, cui innitatur, ac proinde plura alia debeant assumi ad eam confirmandam. Tum vero disiunctum esse a propositione, quando haec innititur uni argumento principali, quo apte ipsi applicato obtinetur causa.

19. Causa, quae aliquando pro questione finita accipitur, proprie est una ex propositionibus contrariis, quarum ex conflictu quaestionem diximus oriri. Nota. Quando propositio uno tantum argumento probatur, maior illius argumenti propositio vocatur Causa, quia causat conclusionem. Ut autem totam hanc doctrinam facilius percipias, tene hanc praxim. Dicturus, exempli gratia, quispiam de litteris cum pietate iungendis, primo sibi formabit duas propositiones contradictorias hasce. 1. Pietas est cum litteris iungenda. 2. Pietas non est cum litteris iungenda. Hae propositiones contradictoriae adhuc stant in conflictu, quapropter ex ipsis elicies Statum. Quoniam vero definiendum est: Quid Pietas sit? et: Utrumne sit eadem iungenda cum litteris? appellabis hunc statum definitionis. Hoc habito, procedes ulterius et ex positis contradictoriis enunciationibus desumes hanc Quaestionem: Utrum Pietas cum litteris iungenda? Tractabis hanc questionem affirmative, proponens, te velle suadere Auditoribus, ut pietatem cum litteris coniungant. Ad hanc propositionem confirmandam desumes argumentum a definitione. Quia pietas est virtus etc. Et haec ratio erit Crinomenon, nam istud unicum debebunt maxime Auditores cognoscere, quod sit virtus pietas, ut postea consentiant propositioni tuae. Hic iam tibi solum modo causa deest, quam ut habeas, rationem illam, ex definitione sumptam, quia Pietas etc. in unum argumentum principale rediges et dispones hoc modo.

Maiores: Virtus est cum litteris iungenda.

Minor: Pietas est virtus.

Conclusio: Ergo pietas est cum litteris iungenda.

Huius Syllogismi maior propositio est Causa, causat enim conclusionem hanc (quae tibi in propositionem orationis ex quaestione deductam transibit): Ergo pietas etc. Iam denique ex fine hic intelliges, ad quod genus causa haec tibi sit referenda. Tria enim genera causarum sunt: demonstrativum, deliberativum, iudiciale.

20. Demonstrativum genus est, quod circa laudem vel vituperationem personarum ac rerum versatur indigetque, florido, gracili et medio-cris characterem.

21. Personae laudantur a claris natalibus, maioribus, educatione, studiis, officiis, gestis, virtutibus Theologicis, cardinalibus, moralibus, ut Religione, iustitia, clementia etc. A contrariis autem vitiis personarum vituperium desumitur.

22. Res laudantur a pulchritudine, stabilitate, bonitate, excellentia, antiquitate, praestantia, utilitate, dignitate et similibus. Quaedam ex his, uti urbes, a conditoribus, incolis, fama, aedificiis, monasteriis, templis, collegiis, palatiis, artificibus, variis mercibus etc. specialem habent laudem. Horti a situ, amoenitate, diversitate et raritate plantarum, fructuum copia, florum varietate et similibus. Virtutes in seipsis laudis habent argumenta. At Optimus Maximusque Deus (cui prima

laus in saecula infinita) laudem habet ex amore erga homines, bonitate, sapientia, iustitia, misericordia, providentia, immortalitate ceterisque attributis, quae quis recensendo comprehendat non modo laudando. Vituperium autem rerum promanat ab illis, quae laudi adversantur. Vide pars. I n. 3. c. I & II.

23. Species exornativi generis sunt: Oratio genethliaca, Salutatio, epibatiria, apobatiria, gratulatio nuptialis, gratiarum actio, dedicatio, lamentatio, receptio ad gubernacula, inauguratio, legatio, deditio, funebris et quae ab his defluunt cum suis responsionibus.

24. Deliberativum genus est, quo aliquid suadetur vel dissuadetur. Huic clarus, appositus, humilisque dicendi character convenit.

25. Suasio praecipue tractatur his argumentis: honesto, utili, bono, laudabili, tuto, necessario, delectabili, possibili, facili.

26. Dissuasio his rationibus firmatur, quae sunt contrariae superioribus, nempe inhonesto, sive indecore, inutili sive damnosō, malo, ignominioso, periculoso, importuno, sive non necessario aut superfluo, abominabili, sive acerbo, impossibili, difficili.

27. Species deliberativi generis sunt: Consultatio, adhortatio, dehortatio, monitio, commendatio, petitio, concitatio, conciliatio, denuncia-
tio, consolatio et similes cum suis responsionibus.

28. Judiciale genus est, in quo accusatur vel defenditur quispiam. Hoc exigit gravem, concitatum, vehementem sublimenque characterem dicendi.

29. Accusatio contextitur expositione criminis et eiusdem confirmatione, exaggeratione, elevatione, quod fit rationibus ex locis tam intrinsecis, quam extrinsecis assumptis, de quibus cap. II.

30. Defensio bona erit, si innocentia personae delatae ad iudicium ostendatur, si crimen refelletur aut negabitur, aut allevabitur, aut deprecatione, bene meritis Rei, clementia Judicum emollietur, quod optime argumenta ex praedictis locis desumpta praestare queunt.

31. Species iudicialis generis sunt: Querela, expostulatio, exprobratio, purgatio, obiurgatio, invectiva, deprecatio cum suis responsionibus.

32. Quoniam vero tria genera causarum alibi explicabimus et in genere et in specie, hic autem solum generalem solidae orationis praxim cum artificiosa praeeptione dandi habemus animum, idcirco de his hac parte solummodo agemus, quae perfectum Oratorem solent et possunt constituere.

C A P U T II.

De. Inventione.

1. Quinque esse rhetorices Partes communis Rhetorum sententia docet. Atque hae sunt: Inventio, Dispositio, Elocutio, Memoria, Actio; tametsi non desint authores, qui duas postremas elocutioni putent esse adiungendas. Hoc capite de sola Inventione agemus.

2. Inventio est reum verarum, aut verisimilium excogitatio, quae causam probabilem reddant. Per res intellige argumenta. Argumentum autem est probabile

inventum ad faciendam fidem; proprie sumitur pro quacunque ratione. Debet enim Orator, quod proponit, optimis rationibus confirmare, quae potissimum ex his fontibus, quos aperimus, eliciendae sunt.

3. PRIMUS INVENTIONIS FONS LOCI sunt Intrinseci, qui in rei substantia sunt positi numero septendecim: Definitio, notatio, coniugata, genus, species, differentia, simile, dissimile, causae, antecedentia, consequentia, effecta, comparatio, adiuncta, partium distributio, repugnantia, contraria.

4. Definitio est, quae genus et differentiam alicuius rei complectitur. Hominem sic definias: Homo est animal ratione praeditum. In hac definitione genus est nomen Animalis, quod etiam leoni, equo, cani aliisque convenit quadrupedibus. Differentia ostenditur Ratione, quae uni soli que Homini, non item aliis animalibus, data est eaque ab his discernitur. Ex hoc loco Gallius Tullius, M. Ant. Muretus, ad dignitatem Theologiae monstrandam Or. I vol. I. sumit hoc argumentum. Atqui, ut hinc exordiamur, si nihil diceremus aliud, nisi eam, quae antiquissimo vocabulo Theologia dicitur, scientiam esse quandam, quae divinae sapientiae thesaurus hominibus recluderet, tamen illud, ut opinor, liquido constaret, quanto aeterna nativis, immortalia caducis, divina humanis antecellant, tanto esse hanc facultatem ceteris omnibus anteponendam.

Frequentissimus usus est apud Oratores Definitionum conglobatarum, varique modi eas tractandi apud varios reperiuntur. Cicero pro domo sua n. 10: Quis est Sergius? armiger Catilinae, stipator sui corporis, signifer seditionis, concitator tabernariorum, damnatus iniuriarum, fori depopulator, percussor, lapidator, obsessor curiae. Haec definitio est ab effectis desumpta, multis enim modis illa tractari solet, ut docetur in ipsa Reg. Ar. L. I. C. 2. Quoniam vero ex his ipsis oratoriis fontibus Poetae quoque argutias ad epigrammata concludenda sumere possunt, subicimus idcirco earum aliquem impetum, non exempla. In Brutum potatorem. Est homo, nec ratione caret; non utitur illa Brutus; eum brutum cum ratione voco.

5. Notatio, gr. Ethymon, est, cum ex vi nominis argumentum elicitur. C. Ver. 2 v. 52. Quare appellentur sane ista Verrea, quae non ex nomine, sed ex moribus naturaque tua constituta esse videantur etc. In eundem Verrem sic ludimus. Verrebat Siculas ideo, reor, impius urbes, ne Verri Verris nomen inane foret. Est etiam lucunda in verbis ambiguum significationem habentibus notatio. Sic Poeta in Brennum Vatem: Te Vatem factas et nos te credimus esse; quod Vates faciunt, tu quoque, Brenne, furis.

6. Coniugata sunt, cum ex verbo generis eiusdem argumentum definitur. Cicero. Etenim rectum putabat pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur. Idem in Tusco: Si abesse a patria miserum est, plene miserorum provinciae sunt, ex quibus admodum pauci in patriam revertuntur. Item: Qui sapienter agit, sapiens verissimus esto. Sed non is pariter, qui sapienter ait.

7. Genus est, quod sui similes communione quadam, specie autem differentes, duas aut plures partes complectitur, ut: animal - hominem, vulpem, taurum et simil.; Imperium - regna sibi adiecta; Regnum - provincias etc.; ars - grammaticam etc., scientia - theologiam etc. Cicero, Verr. 4 n. 2: Cum omnium Sociorum Provinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum praecipue Siciliae plurimis iustissimisque de causis. In Aulum fratris osorem. Proximus affirmas, quod ametur quilibet abs te; sed negat hoc frater, cum ratione, tuus. Ut genus in speciem deduces, protinus omnes credemus, quod ames quemlibet, Aule, tibi!

8. Species, sive forma, est notio, cuius differentia ad caput generis quasi ad fontem refertur. Cicero, Ph. 2.n.18: Quid est, quod tam proprie dici possit actum eius, qui togatus in Republica cum potestate imperioque versatus sit, quam lex? quare acta Gracchi, leges Semproniae proferentur; quare Sylae, Corneliae. Quid Cn. Pompei consulatus, in quibus actibus consistit? In legibus a Caesare ipso si quaereres, quidnam egisset in urbe et toga? Leges multas, responderet, se praeclare tulisse. - Homo ex animantibus praestantissimum, quae gaudent vita, non gaudent omnia sensu; quae sensu, haud gaudent omnia iudicio. Solus homo vivit, sentitque et iudicat; an non possidet ex cunctis optima solus homo?

9. Differentia est id, per quod cognoscimus distinctionem specierum. Vel est, qua genus deducitur in speciem, ut: Cum rationis sit homo particeps, quod ratione caret, nec homo; non autem idcirco, quod ratione careat, nec animal est. Differentia servitutis apud Ciceronem, Philip. 3 n.12: Cum autem est omnis servitus misera, tum vero intolerabile est servire impuro, effeminato, impudico et nunquam ne in metu quidem sobrio. Ex hoc loco poeta ingeniosus distinctionem conclusit ad Mennium, zelosum ecclesiasten: O quam te sanctum possemus dicere! Menni, si foret ars eadem dicere ac facere.

10. Similitudo est cognationis quaedam inter res similes affectio. Cicero: Ut quidam morbo aliquo, aut sensus stupore affecti cibi suavitatem non sentiunt, sic libidinosi, avari, facinorosi gustum laudis non habent. - Componitur aliquando similitudo cum duabus, vel pluribus prothesibus - una respondet, vel binae apodoseis. Seneca: Magni animi est magna contemnere ac mediocria malle, quam nimia. Illa enim utilia vitaliaque sunt, at haec eo, quod superfluunt, nocent. Sic segetem nimia sternit ubertas; sic rami onere franguntur; sic ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas. Idem animis quoque evenit, quos immoderata felicitas corrumpit, quia non tantum in aliorum iniuriam, sed etiam in suam vertuntur. Seneca: Ut alta ventos semper excipiunt iuga, rupemque saxis vasta dirimentem freta, quamvis quieti verberat unda maris, Imperia sic excelsa fortunae obiacent.

11. Dissimilitudo est rerum diversarum inter se collatarum dissimilis affectio. Catullus: Soles occidere et redire possunt; nobis cum semel occidit brevis lux, nox est perpetuo una dormienda. Seneca alter: Quis hostis in quemquam tam contumeliosus fuit, quam in quosdam voluptates suae sunt? quorum impotentiae atque insanae libidini ob hoc unum possis ignoscere, quod, quae fecere, patiuntur.

12. Causa est, quae sua vi efficit id, cuius est causa, ut ignis ardo-
ris, scelus poenae, labor praemii. Quadruplex vero causa est. 1. Materialis, ex qua aliquid fit. Materiam irae Seneca proferens: Opportunissima, inquit, ad iram fervidi animi natura est. Nam cum elementa sunt quatuor: ignis, aqua, aer et terra, potestates pares his sunt: frigida, fervida, arida atque humida. Et locorum itaque et animalium et corporum et morum varietates mixtura elementorum facit; ac proinde in alios magis incumbunt ingenia, prout alicuius elementi maior vis abundavit. Inde quasdam humidus vocamus aridasque regiones et calidas et frigidas. Eadem animalium et hominum discrimina sunt. Refert quantum quisque in se humidi calidique contineat. Cuius in illo elementi positio praevaleret, inde mores erunt. Iracundos fervidi animi natura faciet. Recipe pro fastu: Conditus ex limo terrae, vertendus in ipsum. Quod sis? haec fastus sit medicina tui. 2. Formalis, quae aptitudinem quandam et habitum rei praebet. Cic: Qui se ipsum norit, primum aliquid sentiet se habere divinum, ingeniumque ipse suum sicut simulacrum aliquod dedicatum putabit.

(Ad Blondum). Lex animi speculum. In vitreo speculo formam tua corrigit uxor; in legis speculo corrige, Blonde, tuam. 3. Efficiens est principium, unde actio proficiscitur. Cic.: Quae vis est, quae magis arceat homines ab omni improbitate, quam si senserint, nullum esse in delictis discrimen. Sen. Crescit licentia spiritus, servitute comminuitur; assurgit, si laudatur et in spem sui bonam adducitur. Per peccatum mors. Innumeras liceat medicis adducere; mortis peccatum causa est unica, quod scit Adam. 4. Finalis est, propter quam aliquid fit. Hinc Sen. suadet causas terrae motus esse indagandas. Quaeramus, quid est, quod terram ab infimo moveat? quid tanti molem corporis impellat? quid sit illa valentius? quid tantum onus vi sua labefactet? cur modo tremat, modo luxata subsidat, nunc in partes divisa discedat? etc. Haec ex quibus causis accidant, digna res est excuti. Quod, inquis, erit operae pretium? quo nullum maius est nosse naturam. - Nativitas Domini: O ipso Stabulum caelo felicius! in quo Factus Homo Deus est, ut Deus esset Homo.

13. Antecedentia sunt, quae sic antecedunt consequentia, ut cum ipsis necessario cohaereant, qua ratione ab adiunctis distinguuntur. E.G.: Ortus est sol? ergo est dies. Celebris Eccl. hinc arguit ex pueritia in reliquae aetatis notitiam esse deveniendum. Quare vultis scire, Parentes, quales olim futuri sint filii et filiae vestrae? attendite ad eorum studia et mores pueriles ac iuveniles. Tractant aleas et lusorias chartas? aleatores et tandem futuri ne fiant merito timete. Tractant pocula et patinas? gulones eos videbitis. Tractant specula? vestium novitates admirantur et quaerunt? superbulos et comptulos Veneris alumnos alitis. Tractant rosaria vel libros? pios vel studiis addictos fore non male ominemini. Itaque si ad malum pronos videtis, in tempore mederi studete. Frangi potest pravus indoles accurata institutione. Gratiae amissio et recuperatio, Gratia delicto si perditur, ira manebit, Gratia, si precibus flectitur ira, redit.

14. Consequentia sunt, quae sic antecedentia consequuntur, ut ab his nunquam dirimantur, ut: Generose, strenue, fortiter in acie pugnavit, qui cecidit. Cicero: Luculentam tamen ipse plagam accepit, ut declarat cicatrix. Hinc et Augustinus: Heu, cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam erubuisti? Melius est coram uno aliquantulum ruboris tolerare, quam in die iudicii coram tot millibus hominum gravi repulsa denotatum tabescere. Iocus in nasutum Ortum te dicet prisca de gente Nasonum: Qui cernet nasum, Romuliane, tuum.

15. Effecta Cicero definiens: Locus, inquit, est, qui efficitur ex causis. Ut enim causa effectum indicat, sic quod effectum est, quae fuit causa, denotat. Venuste Muretus ab effectis eloquentiam laudat. An nescimus eloquentiam a gravissimis autoribus rerum omnium Reginam vocari? Haec enim est illa virtus, quae quamlibet in partem arbitrato suo flectit audientium animos eosque pulchritudinis suae splendore obstupefactos, quibusdam velut habentis numerosae orationis regit. Haec illa est, quae consolatur maerentes, afflictos excitat, iacentes erigit; quae sceleratis exitio est, innocentibus praesidio, improbis terrori, probis ornamento. Hac Cicero fretus Catilinae furores et nefarie in Patriam inita consilia, dissipavit; hac togatus superavit armatos, ut vel inimicorum confessione omnibus triumphis maiorem adeptus lauream diceretur; hac instructi qui sunt maius omnibus tyrannis imperium in homines obtinent, siquidem tyranni possunt illi quidem corpora contingere, animis nullam vim adhibere possunt, hi vero dominantur in animis, quaeque illis honesta atque utilia videntur, ea non facere modo alios, sed etiam velle cogunt; illi invitis imperant, hi volentibus illi et oderunt omnes et odiosi sunt omnibus; hos, in omne hominum genus beneficos, perpe-

tua fama comitatur. Virtutis Studium. Si gratos reddit virtus hominique deoque, eximit a multis si bene culta malis. Si confert bona quaequam bonis, statuitque Beatos. Hanc quis perpetuo non veneretur, amens.

16. Comparatio est rerum inter se collatio, quae tripliciter fit. 1. Cum a maiori ad minus fit argumentatio. Cicero hinc ostendit, non puniendum Milonem, quod Clodium, hominem sceleratissimum, in Appia via occiderit; siquidem in eadem Paperius, vir ornatissimus, a Clodio impune occisus fuit. Itaque in eadem ipsa Appia via, cum ornatissimum virum equitem R.M. Papyrium occidisset (Clodius) non fuit illud facinus puniendum? Homo enim nobilis in suis monumentis equitem R. occiderat. Nunc eiusdem Appiae nomen quantas tragoedias excitat? quae oruentata antea caede honesti atque innocentis viri silebatur, eadem nunc crebro usurpatur, postquam latronis et parricidae sanguine imbuta est? Huc facit illud pii Vatis ad V. Beatissimam. Si mihi, Virgo, faves, si Vatis vota secundas, Gratia non faveat de tribus ulla mihi. Optime. V. plena gratiarum est. 2. Cum a minori ad maius deducitur argumentum. Cic.: Quid stultius, quam parare pecuniam, equos, famulos, vestes egregias, vasa pretiosa; amicos non parare, optimam et pulcherrimam vitae suppellectilem? - In Ollum calamistratum. Destruis, aedificas, disponis, surgis, uris. Et torques miseram pectine et igne comam. Quam sapiens fferes, stupidum si, crine relicto, tam multis coleres artibus, Ollé, caput! 3. Cum a pari ad aequale ratiocinamur. Cicero Archiam Ennio confert. Radium hominem maiores nostri in civitatem receperunt; nos hunc Heracliensem, multis civitatibus expetitur, in hac autem legibus constitutum, de nostra civitate eiciemus? - Lusus de Gunebaldo non poeta ad Brennum non Historicum. Iure Gunebaldum non censes, Brehné, POETAM; Iure Gunebaldus te negat HISTORICUM. Nam licet HISTORIAM tu pangas, ille POESIM; omnia tu fingis, fingit at ille nihil.

17. Adiuncta sunt ea, quae licet rem non componant aut necessario comitentur; sunt tamen cum ea coniuncta. Dupliciter numerantur. Alia, quae rem praecedunt, his versiculis continentur: Causae, consilium, sermo, ac iniuria, mosque. Et promissa, minae, via, cetera, prima vocabis. Alia, quae rem comitantur, his exprimentur: Personas, res atque locum, Comitantia dices, instrumenta, modum, numerum, tempusque. Vicissim singulorum exempla afferre longum hic esset; sed ea videre cupientem ad L.I c.6. par.1. ipsius Reginae, tum ad orationem Tullii pro Milone dictam et infra ad amplificationem remitto.

18. Partium distributio est cum genus in species, vel totum in partes distribuitur, e.g. Virtus est genus, species vero sunt: Temperantia, prudentia etc. Totum est homo, partes sunt: caput, manus, pectus et reliq. Notandum autem est: tam species, quam partes, aliquando respectu inferiorum genus et totum esse. Nam temperantia respectu frugalitatis, continentiae, ieiunii est genus, quae respectu virtutis est species. Caputque, quod respectu temporum, crinium, frontis, est totum, respectu hominis totius est pars. Ex hoc illud Ciceronis pro M. Marcello desumptum est. Obstupescent posteri certe imperia, provincias, Rhenum, Oceanum, Nilum, pugnas innumerabiles, incredibiles victorias, triumphos audientes et legentes tuos. Sed nisi haec Urbs stabilita tuis consiliis et institutis erit, vagabitur modo nomen tuum longe atque late, sedem quidem stabilem atque domicilium certum non habebit. Zoilus hinc Martialis depictus. Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luscus rem magnam praestas, Zoile, si bonus es.

19. Repugnantia sint, quae neque certa lege, neque numero inter se dissident, qua ratione a contrariis et dissimilibus discernuntur. E.g. dissimilia sunt haec: ille albus, hic ruber; contrariae graecae: illum amat, hunc odit, illum probum, hunc improbum esse putat. Repugnantia vero sunt: favere et nocere; amicum esse et detrahere, atque eiusdem generis. Cicero Regem Deiotarum saltasse

ex hoc loco negat. Qui igitur adolescens nondum tanta gloria praeditus, nihil unquam nisi severissime et gravissime fecerit, is ea existimatione atque aetate saltavit? In Alanum. Egregie nuper me diffamavit Alanus; Euryalum iactat se tamen esse mihi. Sic lupus est benefactor ovi; sic frondibus ignis; sic niveis astris nubila tetra favent.

20. Contraria sunt, quae inter se ratione et re dissentiunt. Quadruplicia Cicero in Topicis numerat. 1. Adversa, quae in eodem plurimum differunt, ut amor, odium, humilitas, superbia. Cic. Statuerant tantum illud esse maleficium, quod non modo non occultari per se, sed etiam aperiri illustrarique deberet. Loeti Vatis Lyra: Tristia, Loete, canens tristes solaris amicos. Nam bene qui cantat tristia, laeta facit. 2. Privantia, quando praepositio "IN" privat vocem ea vi, quam haberet, si ea caruisset, ut: Justitia - iniustitia, probitas - improbitas, &c. Muretus: Iustitia Civitates a parvis et humilibus profectae principiis brevi tempore ad magnam potentiam pervenerunt; iniustitia florentissimae et opulentissimae breviori tempore funditus conciderunt. In Probum. Es probus, es fateor, Probe, solo nomine, sed re improbus; hoc etenim non proba vita docet. 3. Sunt Relata, quae cum aliquo, ut dicit optimeque docet noster Cicero, conferuntur, vel quae se mutuo, ut docent Dialectici, respiciunt, e.g. pater-filius, dux-miles, simplum-duplum, longum-breve, datum - acceptum, mors-vita etc. Cic. Quanta in dato beneficio sit laus, cum in accepto tanta sit gloria. Idem. Quamobrem si vitae cupiditas contra Republicam est turpis, certe multo mortis cupiditas turpior fuisset cum pernicie civitatis. Medica D. Petri Umbra. Quid tua lux possit, didici te. Petre, magistro, quando fugat morbos corporis umbra tui. - 4. Negantia sunt, quorum unum negat, quod affirmatur ab altero. Sic. Mur. de Rom. HeroPhilosophis. Vita illi, non oratione; factis, non dictis; moribus, non sermonibus, philosophabantur quod pulcherrimum ac verissimum est philosophandi genus. Spes alit. Illud, quod veteri celebratur carmine credo. Spes alit at pinguem. Spes, Clite, nulla facit. - Atque hic internorum locorum finis.

21. SECUNDUS FONS INVENTIONIS LOCI sunt Extrinseci numero 7: Prae-iudicium, fama, rumor, tormenta, tabulae, testes, insiurandum. - 1. Prae-iudicium est eadem ipsa de re, qua de agitur, lata sententia. Hinc Cic. ostendit A. Poetam esse in urbe retinendum, quod is iam ab aliis civitatibus confederatis pro civis receptus et muneribus cultus fuerit. Itaque hunc, ait, et Tharentini, et Rhegini, et Neapolitani civitate caeterisque praemiis donarunt et omnes, qui aliquid poterant de ingeniis iudicare, cognitione atque hospitio dignum existimarunt etc. Prae-iudicatum Exilium. Pulsus in exilium generis nostri author Adamus quid nisi in exilio nos remanere iubet. - 2. Fama est sermo in vulgum sparsus vel de factis, vel de futuris rebus plerumque falsus. Mur. Fama refert nostros te, Fidentine, libellos non aliter populo, quam recitare tuos. - 3. Rumor est nuntius de re aliqua, vel a certa vel ab incerta persona divulgatum. Cic. Video en illum, qui dicitur de Cyri morte nuntiasse, non id nuntiasse, sed Milonem appropinquare etc. Fuga Philand. ex proelio. Rumor erat, Belli te decubuisse, Philande; Tu fugiendo probas, quod nisi rumor erat. - 4. Tormenta sive questiones sunt in quibus per aliquos cruciatus veritas extorquetur. Cic. Quid opus est tortore? occideritne? occidit; iure an iniuria? nihil ad tortorem. Vermis conscientiae. Vis fuge re hunc vermem, Titii, qui viscera rodit? Peccatum, ex quo nascitur ille, fuge. - 5. Tabulae sunt, sive leges, sive testimoniā, scripto producta. Cic. Quodsi duodecim tabulae nocturnum furē quoquo modo, diurnum vero si se telo defendērit interfici impune voluerunt, quis est qui quoquo modo quis interfectus sit, puniendum putet, cum videat, aliquando gladium nobis ad occidendum hominem ab ipsis porrigi legibus. In Blancum. Longaevam ducit vitam reverens parentes filius; haud vivet, non reverendo, diu.

Hoc siquidem Tabulae Divinae, Blance, loquuntur, quid sperare potes percutiendo Patrem? - 6. Testes sunt duplices. Alii qui iudici sistuntur, ut de re facta, vel dicta, ore dent testimonium. His Cic. pro Archia Poeta usus. Adest, inquit, vir summa autoritate et religione et fide L. Lucullus, qui se non opinari, sed scire, non audivisse, sed vidisse, non interfuisse, sed egisse dicit; adsunt Heraclienses legati, homines nobilissimi, qui huius iudicii causa cum mandatis et cum publico testimonio venerunt, qui hunc adscriptum Heracliensem dicunt. Alii sunt viri sapientes, ex quorum libris ad rem confirmandam vel infirmandam, testimonia autoritatis plena desumuntur. Cic. Rerum autem omnium nec aptius quicquam ad opes tuendas quam diligi, nec alienius, quam timeri. Praeclare Ennius: Quem metuunt, oderunt, quem quisque odit, perisse expetit. Praeestinatio. Quis male caelorum Regnum sperabit agendo? Horrisonam metuet quis, bene agendo, stygem? Si post fata hominem quemvis sua facta sequuntur, non quod ego, sed quod pagina sacra docet. - 7. Iusjurandum est affirmatio vel negatio, rei sacrae contraactione religiosa. Cic. Ego cum in contione, abiens magistratu, dicere a Trib. plebis prohiberer, quae constitueram, cumque is mihi tantum modo, ut iurarem, permitteret, sine ulla dubitatione iuravi, Rempublicam atque hanc urbem mea unius opera esse salvam. In maledicum. Iurasti sacro te daemona fonte negare, an non periurus, cum maledicis, eris?

22. TERTIUS IMVENTIONIS FONDS est, quem nec definitionibus illustro, utpote nostro aevo usitatissimum. Continet in se: Adagia, sententias, autoritates, apophthegmata, exempla, hieroglyphica, emblemata, symbola, stemmata, oracula, fabulas, apologos, sacras litteras, variam eruditionem, multaue alia, si quae ad illustrandam ^{vel ornandam vel acuendam} faciunt orationem, de quibus prolixè in ipsa Regina Artium l. I c. ultimo actum est.

A d m o n i t i o

Hic iam concludo Inventionem, primam Rhetorices partem, monendo Tyrones Eloquentiae, ne putent, omnibus his locis quavis in oratione opus esse, verum sciant pro temporis et aliarum circumstantiarum ratione, adhibito summo delectu, hunc vel illum usurpandum et ad summum quatuor hinc rationes ad aliquid probandum vel improbandum (una quandoque ratio principalis sufficiat) sumendas et per argumentationes, prout sequenti capite docetur et in praxi infra monstratur, disponendas.

C A P U T III.

De Dispositione.

1. DISPOSITIO est rerum inventarum in ordinem distributio. Hoc enim est alterum Oratoris opus, ut ubi aptas ad propositum dicendi scopum tangendum rationes reperit, eas sciat dirigere certa via Argumentationum Argumentationis vero (quae est Argumenti per orationem explicatio) potissimae sunt species octo: Syllogismus, enthymema, inductio, exemplum, dilemma, sorites, epicherema, collectio.

2. Syllogismus est oratio ex ipsa re aliquid probabile efficiens, quod expositum et per se cognitum sua se vi et ratione confirmet. Brevius. Syllogismus est argumentationis forma ex duabus propositionibus aliquid tertium concludens. Apud Dialecticos presse, ab Oratoribus fuse tractatur. Habet autem tres, quatuor, aliquando aut quinque partes atque tunc ratiocinationis quinque partitae nomen sortitur, quam Cicero vocat perfectissimam. E.g. Si quis vellet suadere: Castitati esse studendum, - sumere posset hanc rationem ex genere: quia Castitas est Virtus. Hinc ad speciem argumentum ducens, inventionem suam tripartito syllogismo sic disponeret. MAIOR: Omni Virtuti est studendum. MINOR: Castitas est Virtus.

CONCLUSIO: Ergo Castitati est studendum. Ex hoc dialectico brevi syllogismo formo longiorem Oratorium, additis probationibus maioris et minoris propositionum.

SYLLOGISMUS ORATORIUS DE CASTITATE.

Qui unicuique Virtuti assiduam diligentissimamque operam recuset navare, eum ego non solum hominum vilissimorum abiectissimo gregi, sed etiam ipsis animantibus ac belluis, ratione sagacique intellectu destitutis, iure merito opinor esse postponendum, siquidem ea sola de causa homo rectae rationis atque consilii particeps esse dignoscitur, cum velis, ut aiunt, remisque ad studium virtutis contendit. Nam qua ratione brutum esse animal dicimus, quod solum ea, quae sensibus arrident et blandiuntur, appetat, haec e diverso perfectum illum esse hominem statuimus, qui non nisi honestis oblectatur, nec aliquid, quod aliquam saltem speciem virtutis non praeseferat, amplecti coepit, cum, teste Aristotele sapientissimo, per virtutes homines bene instituti compositique evadunt. Quid, quod non solum homines aspectu iudicioque probatissimos, at quodammodo deos, Virtus nos efficit, quae divinum quidpiam est, atque cum clara aeternaque habetur, claritatem nobis infinitam parit et immortalitatem.

Iam vero Castitatem inter reliquas Virtutes non aliter quam Solem inter omnia sidera principatum tenere nemo iustissimus rerum arbiter non iudicabit, Quid enim potest mortales Superis immortalibus magis commendare, quam castae mentis integritas? quid Angelicis mentibus pares aut certe superiores reddere, quam in fragili vitro, corpore dico humano, pretiosissimum ac pulcherrimum Virginitatis liliū optime custoditum, minime corruptum? quid, denique, fragrantiolem odorem terra caeloque spargere hoc flore virgineo ut rarissimo, ita nobilissimo, venustissimo, praestantissimo? Quodsi VIRTUTEM eam esse animi vim dicimus, quae corpori moderatur, quae affectus accipit cognoscitque et, quo iusserit recta intentio, perducit ac dirigit, in eo perseverans habitum animae optimum, comparat quidem, denique DEO perfruitur.

Haec omnia Castitati quis non attribuat? quis eam corporis moderatricem non agnoscat? quis tandem DEO frui neget? quoniam ipsa divina pagina testante mundi cordis mortales DEUM videbunt. Castimoniam itaque ab omnibus amari et coli; castimoniā singulari diligentia custodiri atque inviolatam semper convenit retineri. Praesertim vero illi Castimoniae studio sedulam ut dent operam necesse est, qui propius ad Numen purissimum per voluntariam fidei professionem accesserunt. His illud Hieronymianum continuo animo volendum atque meditandum est: Quaecumque virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, si cingulo Castitatis careas, omnia per terram trahis.

4. Enthymema communiter definitur imperfectus Syllogismus ex una propositione, quae antecedens, et conclusione, quae consequens dicitur constitutus. Ex.gr. Castitas virtus est, ergo exercenda. Hic ad perfectum syllogismum deest maior propositio haec: Omnis virtus est exercenda. Nota 1. Posse hanc argumentationem fieri tripartitam, quando antecedentis vel consequentis una aut plures probationes afferuntur. Nota 2. Tam in perfecto, quam in imperfecto syllogismo permisceri propositionum ordinem ad arbitrium Oratoris. Licet enim quandoque immo venustum est, ut assumptione vel conclusione ratiocinatio inchoetur, quod passim rhetores docent et oratores solent observare. Quodsi aliqua pars seu propositio syllogismi clara fuerit; eam rationibus haud opus est probare, immo quandoque clarae propositiones reticendae sunt. Ut autem non praeceptis solum,

sed etiam exemplis doceam, oratorie tractati enthymematis praxim subicio, nempe oratiunculam, qua filius parenti Natalem Servatoris nostri gratulatur.

ENTHYMEMA ORATORIUM.

Quantis affluat bonis Natalis aeterni Solis Lux, M.D. parens, non facile quivis exprimat. Divitiās illius, laetitiam, felicitatem, nec Tullius ipse, Latinae facundiae parens, digna oratione praedicavit. Universa totius universi emolumenta atque bona vincunt ea, quae in creato oriente Sole omnes terras, dicam potius omnes homines cumularunt. Inops erat egentissimusque noster Orbis caelestium donorum donec in eo Caelestis Rex appareret. Incredibilis terrarum sola premebat siccitas, antequam rorantia Sidera, an potius nubes, tot expetitam Divorum Patrum votis pluviam demisissent. Una Christi natalis dies anteactorum saeculorum sterilitatem compensavit. Parvulus enim, ut sacri Vatis ore loquar, natus est nobis is, a cuius Ortu, nisi melius dixerō, Occasu, nostrum omnium splendor salusque pendet. Nihil nobis profuisset nasci, nisi hodierna die nasceretur Homo DEUS, natales nostros suo nobilitaturus.

Divina amoris flamma arsisset nemo, nisi consumens omnia. IGNIS, frigido in decembre stipulas inter Bethlemitici Stabuli excitatus, totam peccati hiemem fugasset. Aeterna mors universos morabatur mortales, si hac, quam solenissimo cultu celebratis, LUCE communis usuram lucis mortis tenebrarum Triumphator non accepisset. Quis illud taceat? Populum, continuis obvallatum tenebris, quasi post Aegyptiam noctem LUCEM vidisse, cui? sibi exortam. Tanta vero est LUCIS istius claritas, tanta est, ut omnem hominem, venientem in hunc mundum, illuminet. Scilicet, lucente hoc nobis exorto SOLI quantavis etsi letiferam nebularum caliginem discuti necesse est. Alia nempe istius est, alia creati solis natura, quem densae quandoque nubes operiunt; huius lucem ne Cimmerias quidem peccatorum tenebrae sustinent, protinus ubi affulserit, dissipantur.

Sed pacem etiam, optimum caeli donum, sperare nos Caelites iubent, qui nascente pacis Principe canunt "In terra pacem esse hominibus bonae voluntatis". Sane tametsi nobis alia bona Christi Natalis non attulisset, maximum istud, M.D. parens, et pulcherrimum bonum fuerit, quod POSCIMUS OMNES. Adeo vero hoc amplum est, ut si quando, profecto hodie verius cecinisset noster Sarmaticus vates: PACE subsultant iuga, pace rident Tetricae rupes. Denique, ne hunc ortum aeterni SOLIS fecundum esse dubitemus, Vineae Engaddi strictissima hieme floruerunt, ne laetitia eundem carere putemus, tempestive praedixit illam sacer Vates: Laetabuntur, aiebat, coram te, sicut qui laetantur in messe, sicut victores exsultant capta praeda, quando dividunt spolia.

Quis hoc maius gaudium Divino in Natali exigat? quis vehementiorem laetitiam aeterni SOLIS in ortu desideret? Sed ne plura verba, quam tempus aut res ipsa postulat, faciam me quoque hodierno die miris, fateor, laetitias gestire, partim quod immensorum fructuum humanum in genus ex Divinae Sobolis Natali promanantium particeps existam, partim quod felicissima incolumitate et inexplicanda felicitate perfruenti D.V. eiusdem Natalis redeuntem lucem gratuler; gratulor, inquam, affectu intimo et ut felicior per annos Nestoreos redeat, non frigido animi sensu voveo.

VIDE, ut hoc breve dialecticum Enthymema (Multa nobis bona attulit Christi Natalis, ergo tibi eum gratulor) per solam enumerationem oratorie amplissime dilatatum est.

2. Inductio est oratio, quae rebus non dubiis captat assensum eius, quo cum instituta est; quibus assensionibus facit, ut illi dubia quaedam res propter similitudinem earum rerum, quibus assentitur, probetur. Cic. De Invent. 1.1 n.57, scriptum legis contra sententiam defendit hoc modo.

P r a x i s I.

Si, Iudices, id quod Epaminondas ait legis scriptorem sensisse, adscribat ad legem et addat. Extra quam, si quis Reipublicae causa exercitum non tradiderit, patiemini? non opinor. Quodsi vos metipsi, quod a vestra religione et sapientia remotissimum est, istius hominis causa hanc eandem exceptionem iniussu populi adscribi iubeatis, populus Thebanus patieturne id fieri? profecto non patietur. Quod ergo ascribi ad legem nefas est, id sequi quasi iam ascriptum sit, certumne vobis videtur, novi vestram intelligentiam, non potest ita fieri, Iudices. Quodsi litteris corrigi neque ab illo, neque a vobis scriptoris voluntas potest, videte ne multo indignius sit id re et iudicio vestro mutari, quod ne verbo quidem commutari potest.

P r a x i s II.

Quis hominum bonus iudicandus.

Quae conditio rerum, eadem et hominum est. Navis bona dicitur non quae pretiosis coloribus picta, nec cui argenteum rostrum est, nec cuius tutela robore caelata est, nec quae fiscis ac opibus regis pressa est, sed stabilis ac firma et iuncturis aquam excludentibus, spissa, ad ferendam maris iniuriam solida, gubernaculo parens, velox et consentiens vento. Gladium bonum dices non cui deauratus est balteus, nec cui vagina gemmis distinguitur, sed cui ad secundum subtilis acies et mucro munimentum omne rupturus. Regula non quam formosa, sed quam recta sit, quaeritur et quodque laudatur cui comparatur quod illi proprium est. Ergo in homine quoque nihil ad rem pertinet, quantum ariet, quantum faeneret, a quam multis salutetur, quam pretioso incubat lecto, quam perlucido bibat poculo; sed quam bonus sit. Bonus autem est, si ratio recta et explicata est: haec vocatur Virtus, hoc est, honestum et unicum hominis Bonum.

6. Exemplum est argumentatio, in qua unum ex altero deducitur ac colligitur propter mutuam quandam similitudinem atque consensum, qui in utroque reperitur. E.g.: Tam in subiugandis, quam in gubernandis Provinciis singulari clementia utendum est Principi. Hac si Alexander ille Macedo praeditus non fuisset, profecto maximam orbis partem Macedonico regno non adiecisset neque tot Nationum diversarum moribus et legibus populos in officio et obsequio continuisset. Alterum huius argumentationis exemplum habes apud Tullium 1.1. De divinatione sic tractatur. NIHIL est profecto futurum, quod potest aliqua procuracione accidere, ne fiat. Atque ne utilem quidem arbitror esse nobis futurarum rerum scientiam. Quae enim vita fuisset Priamo, si ab adolescentia scisset, quos eventus senectutis esset habiturus? Abeamus a fabulis, propiora videamus. Clarissimorum hominum nostrae Civitatis gravissimos exitus in consolatione nostra collegimus.

Quid igitur? Ut omittamus superiores, Marcione Crasso putas utile fuisse, cum maximis opibus fortunisque florebat, scire sibi interfecto filio exercituque deleto trans Euphraten cum ignominia et dedecore esse pereundum? An Cn. Pompeium censes suis tribus consulatibus, tribus triumphis, maximarum rerum gloria laetaturum fuisse, si scisset, se in solitudine Aegyptiorum trucidatum iri amisso exercitu, post mortem vero ea consecutura, quae sine lacrimis non possumus dicere? Quid vero Caesarem putamus, si divinasset fore,

ut in eo senatu, quem maiore ex parte ipse cooptasset, in curia Pompeiana, ante ipsum Pompei simulacrum, tot centurionibus suis inspectantibus, a nobilissimis civibus, partim etiam a se rebus omnibus ornatis, trucidatus ita iaceret, ut ad eius corpus amicorum nullus, sed ne servorum quidem quisquam accederet, quo cruciatu animi vitam acturum fuisse? - Certe igitur ignoratio futurorum malorum utilior est, quam scientia.

7. Dilemma est argumentationis forma in duas partes seu rationes divisa, quarum utraque plane sic ferit adversarium, ut utram partem concesseris, reprehendaris. Hinc, cum quasi duobus cornibus propositionibus suis armatum sit Dilemma, cornutus etiam syllogismus nuncupatur. Seneca: Aut potentior te, aut imbecillior laesit. Si imbecillior, parce illi; si potentior, tibi. En et altera

P r a x i s

Arthemisia suadet Xerxi, ut,
Mardonio in Graecia ad vexandos Graecos
relicto, ipse redeat in Persiam. Her. l. 8.

Arduum, Rex, me dicentem, optima prosperorum consilia dare, tamen ex statu praesentium rerum mihi videtur esse faciendum, ut Tui ipse domum remeas. Mardonium vero hic reliquas cum iis, quos vult, si modo velit ipse atque recipiat, se ista facturum. Nam sive ea, quae ait se velle, subegerit et haec ei ex animi sententia succedant; tua res, D. agitur, quia id tui servi effecerint. Sive Mardonio contra opinionem suam contingat; non magna, sane calamitas erit, salvo et te et rerum domesticarum statu. Etenim si incolumis es et Domus tua, profecto Graeci saepenumero pro seipsis multa certamina cursitabunt. At si quid contingat Mardonio cladis, id nullius erit momenti, Graeci-que vincendo non vicerint servo tuo interempto. Tu vero Athenis incensis, cuius rei gratia expeditionem sumpsisti, revertentis.

8. Sorites est argumentatio, quae multas rationes gradatim et acervatim involvit. Cic. Tusc. 5. Omne bonum laetabile est, quod autem laetabile, id praedicandum et praeseferendum, quod tale autem, id etiam gloriosum, si vero gloriosum, certe laudabile, quod autem laudabile, profecto etiam honestum, quod bonum igitur, id honestum. Ad Cic. imitationem Muretus quoque haec argumentatione commendationem humaniorum litterarum contexit VI. o 2. Magna omnino vis magnumque momentum positum est in litteris ad conservandas bonisque omnibus cumulandas Civitates. Nam cum felicitas publica, ad quam omnia referenda sunt, e singulorum felicitate constet, singulorum autem felicitas in excolenda et exercenda virtute praecipua sit et ad perfectam virtutem consequendam necessariam quandam praecursionem adhibeant litterae, illud profecto consequitur, ut nisi in qua litterarum cultura vigeat, florere absolute Civitas nulla possit. - Nota. Cavendum esse in Sorite, ne in transversione aliquid illegitime committatur, sed omnes rationes certae debent esse atque probabiles.

9. Epicherema est breviter comprehensa ratiocinatio, cuius omnes partes in unum conferuntur. Cic. Pro Deiotaro. En crimen, en causa; cur Regem fugitius, Dominum servus accusat. Hic talis latet syllogismus: Sine causa non debet servus Dominum accusare. Hic medicus est Deiotari servus. Ergo etc. Curt. I. I. c. 5. Fortunam pressis manibus tene, lubrica est; nec invita teneri potest. Hinc evolvo Enthymema: Fortuna lubrica, ergo.

10. Collectio est absolutissima argumentatio, quinque partibus constans: propositione, ratione, rationis confirmatione, expolitione, complexione. Huius est eius modi

P r a x i s

Iracundi homines omnino mihi bonorum consortio indigni videntur esse ex eoque propemodum amovendi sunt. Nam communem pacem assiduo turbare non desistunt, qua cum nihil utilius, tum iucundius, nihil sub caelo reperiri potest. Etenim cum sint ipsimet inquietissimi, tales quoque alios videre cupiunt, partim ne solis animi furor ascribatur, partim ne gaudio suo priventur, quod ex sui similibus concipiunt. Quippe uti illi, qui rarissime solvuntur in risum, non libenti oculo ridentes intuentur, tristes vero laetis nisi coacti accedunt et silentii amantes procacem garrulamque turbam devitant, ita hi furiosi pacificos non amant et parium consuetudine oblectantur. Amovendi sunt igitur ex coetu illo, in quo unio, pax et amor viget, homines illi, quibuscunque effrenis iracundiae impetus dominatur; qui domesticae tranquillitatis turbatores existunt, qui nisi cum similibus esse possunt. — Nota. In hac argumentatione propositionem esse id, quod orator vult probare, rationem id, quo propositio probatur, huius rationem id, quo propositionis ratio confirmatur, expositionem id, quo illustratur rationis prioris confirmatio per exempla plerumque vel similitudines; tandem complexio est, in qua omnes priores collectionis partes compendiose comprehenduntur et propositio infertur.

11. Istis octo argumentationis formis expositis inventae rationes ab oratore ad confirmandam causam sunt applicandae; sed ipsa oratio (quae est earum rerum, quas mente conceperis, clara, docta et artificiosa per externum sermonem expositio atque explicatio) generaliter in sex partes dividitur, quae sunt: Exordium, propositio, confutatio, narratio, confirmatio, peroratio; quanquam particuliarum orationum alia methodus est.

12. Exordium est initium orationis, in quo animus auditoris ad audiendum disponitur, quod fit, cum attentos, dociles et benevolos auditores clara brevitate constituimus. Hae namque sunt virtutes exordii: attentio, benevolentiae conciliatio, docilitas, brevitatis atque perspicua. Attentio, Trapezuntio docente, paratur, si demonstras eam rem, qua de sermo instituitur, aut magnam, aut novam esse, aut ad Religionem, Rempubl., eos ipsos, qui audiunt, vel quos caros habemus, vel ad viros illustres spectare, si eius utilitas ac iudicatio aperietur; ac demum rogandi sunt auditores, ut attente audiant. — Benevolentiam tum a personis audientium, oratoris aut alterius cuiusquam, de quo sermo est, tum ab ipsa causa sive quaestione, quae tractatur, conciliari solet; sed magis utramque, et attentionem et benevolentiam, dicentis auctoritas, eruditio, fama, probitas et eloquentia comparat. — Docilitas fit expositione materiae, de qua sit dicturus orator, sive manifestatione scopi, ad quem tendit intentio dicentis. Ita enim Tullius: Dociles auditores habere poterimus, si summam causae breviter exponamus. — Brevitas dilucida apparere debet in exordio, ne scilicet longitudine admirationem et taedium pariat, obscuritatem vero si nimis artum fuerit, afferat; magis tamen longitudo vitanda est, quae non secus orationis defoedat atque caput improporcionatum hominis formam. Optimum ergo fuerit exordium, si breve clarumque; si benevolum, attentum, docilemque reddat auditorem.

Porro FORMAE exordiendi multiplices a me partim inventae, partim collectae sunt. Imprimis enim exordia fieri solent per quamcumque argumen-

tationem; maxime per syllogismum, enthymema, collectionem. Tum ex abrupto a deprecatione, ab increpatione, expostulatione, emphasi, a conquestione, commiseratione, repentino motu leatitiae divisione; ab exclamatione, adiunctis, hieroglyphico apophtegmate, aenigmate, exemplo, effato insigni, ex abundantia a questione aliquâ, contrariô, similitudine, dissimilitudine, consuetudine, fictione, iudicio, sententia, notatione, dicto alicuius aut factô; ab antiquitate, opinione, occasione seu eventu, invocatione, occupatione, admiratione; a connexione, simplici rei expositione, vel consilii; ex visceribus causae; a proverbis, symbolis, comparatione, laude, timore, novitate rei et denique ab historia, oratoris officio, apologo, parabola et similibus. Quis alias plures exordiendi formas hic desideret? praxes vero qui earum desiderat, ipsius Reginae adeat librum secundum.

13. Propositio est pars orationis, qua orator informat auditorem, quid et qualiter sit dicturus. Cic. pro Caecin: Ego vobis hodierna die causam profecto afferam, ne diutius de controversia nostra ac de communi iure dubitetis. Duplex est propositio: Simplex, qua utitur orator, cum de una tantum re se dicturum statuit. Cic. Dicendum necessario est de contentione nostra, ut in constituendo accusatore, quod sequi possit is, habeatis. Composita est (partitio ac divisio aliter dicta) qua utendum est, cum de pluribus rebus sermo fit et in aliquot puncta seu partes dividitur confirmatio. Cicero: Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de Imperatore deligendo esse dicendum.

Octo praecipue modis propositio exponi potest. 1. Per simplicem narrationem, cum orator simpliciter exponit, quid sit dicturus. 2. Per figuram subiectionis eleganter proponimus. 3. Per reflectionem venuste propositio enunciat. 4. Per negationem. 5. Per repetitionem, tum praesertim, cum in ea plura dicenda conglobantur. 6. Tractatur propositio, quando causa ipsius una, vel plures, immediate ante vel post eam collocantur. 7. Per brevem locum communem cum amplificationibus, at hoc rarissime. 8. Proponitur res per praeteritionem, reflectioni parum dissimilem. Sed adnota hic: venustissimas illas esse Propositiones, quae sub allegoria ponuntur; quamvis tyronibus non sint attentandae, siquidem multiplicem requirunt eruditionem, ut recte possint confirmari.

14. Confutatio nihil aliud est, quam contrariorum locorum dissolutio. Fit plerumque 7 modis. 1. Contemptu, cum flocci pendimus adversariorum dicta. 2. Hypocrisi, id est actione, vultu, gestu et vocis sono. 3. Increpatione, ubi crimen aliquod maxime alienum vel ipsa iudicium sententia, aut certe falsa opinio cum indignatione recitatur. 4. Compensatione, cum vel par, vel maior res sive ratio affertur. 5. Deductione et fallacia, qua Auditor a re, nobis contraria, deducitur, quando pollicemur de eo, quod nobis obiectum est, nos alio loco dicturos et ita sensim elabimur. 6. Communis confutandi modus est, si negentur, qua falsa sunt. Iustus autem patiensque homo omnia silentio confutat. 7. Usitatissime quaevis res confutatur rationibus fontibus argumentorum de sumptis, quod fecit Cicero, Pro Milone. Ultimo hic Nota. Confutationi potissime ante narrationem et confirmationem locum esse, quamvis extraordinarie his partibus alicubi postposita inveniatur.

15. Narratio est rerum gestarum vel quasi gestarum expositio. Per res gestas vera, per quasi gestas verisimilis intelligitur. Duplex est narrationis genus. Primum, in quod totius causae argumenta congeruntur estque quasi sedes totius confirmationis. Alterum, quo gratia digressionis utimur ex occasione. Virtutes narrationis praecipue sunt tres: perspicuitas, brevitatis,

probabilitas; adde quartam suavitatem. Nam rem clare debitoque ordine referre, a verbis, circumstantiis, historiis impertinentibus et superfluis abstinere, falsitatem omnem vitare, suavi, delectabili, blandoque sermone orator in expositione debet uti. Ornamenta narrationis sunt: Hypotyposis, enallage, suspensio, exclamatio, communicatio, increpatio, infinitivi crebri, praesens loco praeteriti temporis, quorum aliquae explicationes infra suo loco proponuntur.

16. Confirmatio est illa pars orationis, in qua propositionem suam sive causam, firmis, invictis, veris aut saltem probabilibus argumentis orator corroborat. Duplex est iuxta qualitatem propositionis. Simplex, in qua una tantum simplicis propositionis materia confirmatur. Composita, quae in duas aut plures partes iuxta divisionem propositionis dividitur, quarum singulae separatim probantur. Argumenta in confirmatione, ex fontibus inventivae desumpta, hoc ordine collocanda, ut principium et finem fortissima, venustissima, probabilissimaque occupent; in medium minus robusta ac vera congeruntur. Initium quippe ac terminus confirmationis ab audientibus maxime observantur. Non inficior, posse aliquas orationes sine confirmatione institui, sed huius loco discursum aliquem vel simplicem rei expositionem esse substituendam.

17. Peroratio est extrema pars orationis, in qua victor triumphat orator affectibus, motibus, commiseratione, furore, lachrymis, vehementioribus figuris, tanquam fulminibus. Decem fere modis haec tractatur. 1. Deprecatione, cui praesertim in dubiis eventibus locus est. 2. Indignatione, commiseratione et enumeratione meritorum etc. 3. Per cohortationem. 4. Per apostropham ad Superos. 5. Excusatione suae in dicendo prolixitatis. 6. Laude rei, de qua dictum est. 7. Repetitione brevi dictorum sive argumentorum, quae Recapitulatio vocatur. 8. Dicto alicuius aut sententia. 9. Gratiarum actione. 10. Ab insperato: cum nimirum longior oratio sperabatur et interim ultra opinionem concluditur. Ornamenta perorationis sunt: Exclamatio, interrogatio, repetitio, subiectio, praeteritio, incisa, membra et omnes figurae ad motum sciendum facientes. Nota: Non omnes has quavis in oratione partes adhibendas esse, nam propositio quandoque vel omitti, vel exordio solet adiungi; refutationi cum narratione rarus patet campus; exordium cum peroratione apud Aereopagitas omnino prohibebantur, ne earum motibus iustitiae rigor emolliretur.

C A P U T IV.

De prima Elocutionis Virtute Elegantia.

1. ELOCUTIO est idoneorum verborum, numerorum ac sententiarum ad inventionem accommodatio. Sine hac talis est oratio, qualis imago delineata solummodo et non coloribus etiam umbrisque necessariis illustrata. Quod ergo sunt colores in imagine, hoc virtutes elocutionis in oratione, quas tres numeramus: elegantiam, compositionem, dignitatem.

2. PRIMA VIRTUS ELOCUTIONIS Elegantia consistit in his quatuor, ut nimirum Latine, plane, apte et ornate dicamus; quae breviter explico.

3. Latine ut dicamus (inquit Crassus apud Tull. de Orat. 2, 40) non solum videndum est, ut et verba efferamus ea, quae nemo iure reprehendat et ea ^{sic et} casibus, et temporibus, et genere, et numero conservemus, ut nequid perturbatum ac discrepans, aut praeposterum sit, sed etiam lingua et spiritus et vocis tonus est ipse moderandus. Nolo exprimi litteras putidius, nolo

observari negligentius; nolo verba exiliter exanimata exire, nolo inflata et quasi anhelata gravius. Nam de voce nondum ea dico, quae sunt actionis, sed hoc, quod mihi cum sermone quasi coniunctum videtur. Sunt enim certa vitia, quae nemo est, quin effugerē cupiat. Mollis vox, ut muliebris, et quasi extra modum absona atque absurda, est autem vitium, quod nonnulli de industria consectantur. Rustica vox et agrestis quosdam delectat quo magis antiquitatem, si ita sonet eorum sermo, retinere videatur. Ex hac Tulli per Crassum pronunciata sententia Culte dicere cupienti colligo vitanda esse verba nova, Barbara, vulgaria, obsoleta, poetica, peregrina, in quovis idiomate, inusitata, agrēstia; constructionem elegantiolem faciendam, iuxta accentus pronunciandam, quorum alterum ex Syntaxi, alterum ex prosodia discimus.

4. Plane dicimus (ut Author idem loco citato docet) cum utimur verbis usitatis ac proprie demonstrantibus ea, quae significari ac declarari volumus, sine ambiguo verbo aut sermone, non minus longa continuatione verborum, non valde productis iis, quae similitudinis causā ex aliis rebus transferuntur, non confusis personis, non perturbato ordine, non discerptis sententiis, non praeposteris temporibus. Quid ultra? tam facilis est tota res, ut mihi per mirum saepe videatur, cum difficilius intelligatur, quid Patronus velit dicere, quam si ipse ille, qui Patronum adhibet, de re sua diceret. Adde ad hanc lucem orationis pertinere, ut commata, membra, punctaque suo loco exprimantur; ut propositio recte confirmetur, nec ab ea quidquam recedatur. Quod Crassus vehementius admiratus exclamat: In quo igitur homines exhorrescunt? quem stupefacti dicentem intuentur? in quo exclamant? quem Deum, ut ita dicam, inter homines putant? qui explicate, qui distincte, qui abundanter, qui illuminate et verbis et rebus dicit.

5. Aptē dicere est convenientem rebus personisque sermonem adaptare. Quod ut assequatur Orator considerandum est primo, utrum humilis, mediocris vel sublimis sit res, quae effērenda est dictione, ut ita rei naturae etiam character dicendi accommodetur. Character autem dicendi est triplex. 1. Summus, qui etiam sublimis, grandis, magnificus dicitur; est ampla, magnificaque in rebus magnis verborum et sententiarum forma, vehementioribus figuris et tropis illustrioribus exornata, cuius usus est cum de rebus excelsis nempe Deo, Sanctis, caelo, homine, virtute, Republica et similibus agimus. Officium hic praecipuum est movere. 2. Infimus, qui aliter gracilis, tenuis, etc. vocatur; est humilis verborum et sententiarum forma, a communi et vulgari sermone parum distincta, verbis vulgo usitatis, figuris et tropis obviis ac paucis vestita, cuius usus praecipuus in controversis, epistolis et artibus tradendis. Officium hic proprium est docere. 3. Mediocris, quem temperatum quoque, floridum, aequabilem etc., appellamus, et est florida in rebus mediocribus verborum et sententiarum forma, ex utroque superiori caractere aliquid participans, figuris et tropis suavioribus adornata, cuius usus in laudibus, panegyricis, victoriis triumphisque celebrandis et in omnibus generis exornativi orationibus et in iis, quae ad solam cum delectatione cognitionem spectant. Officium hic proprium erit delectare. Considerandum secundo quis, apud quos, quo tempore dicat, ut his omnibus circumstantiis gestum, motum, verba et affectus accommodet, immo totam orationem decorumque attendat. Qua in re (ut quidam ait) posse, quid deceat facere, artis et naturae est; scire quid quandoque deceat, prudentiae.

6. Ornate dicimus, cum modum loquendi venustiolem adhibemus. Haec vero praesertim ornata reddunt orationem. 1. Superlativi. Cicero: Error magis est credulitas, quam culpa et quidem in optimi cuiusque mentem facillime irripit. 2. Comparativi. Cicero: Nullum theatrum virtuti conscientiae maius est.

3. Adiectiva rite usurpata. Sarbievius: Alterius redeunt choro risus et gemitus et madidis prope sicci cum lacrimis ioci. 4. Pronomina. Cicero: Te tua, me delectant mea. 5. Substantiva substantivis in genitivo iuncta. Cicero: Conscientia bene actae vitae multorumque benefactorum recordatio iudicandissima est. 6. Adiectiva substantivata. Cicero: Suum cuique pulchrum est. 7. Participia. Cicero: Vita doloribus referta maxime fugienda est. 8. Verbum pro nomine. Cicero: Ille clamare, cum raperetur, nihil se miserum fecisse, nihil commisisse. 9. Figura grammatica Enallage, de qua vide Em. circa finem Synt. 10. Adverbia quaedam se respicientia, ut: tanto quanto, quo eo et similia. Cicero: Voluptas quo est maior, eo magis mentem a sua sede et statu dimovet. Iuvenalis: Omne animi vitium tanto conspectius in se crimen habet, quanto qui peccat maior habetur. 11. Coniunctiones quaedam ut: neque, nec, aut repetita, tam quam et similes, ut: Neque rogemus res turpes, neque faciamus rogati. Idem Cicero: Mihi quidem invite videtur servanda illa lex, quae in Graecorum conviviiis adhibetur: aut bibat, aut abeat. Plura vide apud Ioannem Buclerum in Elegantiarum regulis et apud me in Regina artium lib. 3. c. 1. par. 3.

C A P U T V.

De 2-da Elocutionis Virtute Compositione.

1. SECUNDA VIRTUS ELOCUTIONIS EST Compositio, quae in tres partes nimirum iuncturam, ordinem et numerum dividitur.

2. Iunctura est apta verborum collocatio qua fit, ut leniter in aures audientium influat oratio. In hac vero parte elaborandum est oratori, ut iisdem vocalibus nec finiat, nec incipiat immediate verbum, ut: Animo optimo omnes erant. Idem curet in syllabis, ut: Regere Reges possunt alios, ipsi debent a Deo regi. Det etiam operam, ut crebrae vocales non concurrant, quibus hiula redditur oratio, ut: Incipio a Deo omnia opera. Similiter concursum earundem consonantium, quae faciunt orationem asperam, fugiat, ut: Rex Xerxes Xenocrati xenium obtulit. Haec tamen si aliquando committantur a nobis, vel per alios commissa legantur, scrupulo se non sunt apprehendenda error enim rarus non solet esse gravis.

3. Ordo est perquam ea quae natura, vel dignitate nobiliora sunt, priore loco ponuntur, viliora posteriore, vilissima postremo locantur. Ita DEUS est natura nobilior Angelis, Angeli hominibus, homines belluis, haec caeteris inanimatis. Ita dignitate Romanus Pontifex superat Imperatorem, hic Reges, isti alios ordinis inferioris. Reperitur etiam tum ordo, cum ad augendam sententiam fortia infirmioribus subiciuntur. Cicero, Phil. 2: Tu istis faucibus, istis lateribus, ista gladiatoria totius corporis firmitate etc. Hic assurgit vehementer oratio propter ordinatam positionem verborum. Observandum ultimo in ordine est, ne quae sunt priora tempore, posterius reponantur. Sic beneficium Creationis Redemptionem, haec vero beneficium Vocationis praecedit. Tum ut quaedam orationis partes concinne locentur. Venustius enim e.g. adiectivum substantivo praeponitur, quae tamen omnia facilius oratorum lectione, quam praeceptis percipiuntur.

4. Numerus est quaedam pedum artificiosa, voluptatis aurium gratia composita adaptatio. Pedes oratorii hi sunt in usu.

Spondaeus, qui constat ex duabus longis, ut: recte.

Iambus, prima brevi, secunda longa, ut: chalybs.

Pyrrichius ex duabus brevibus ut: male.

Choreus prima longa, secunda brevi, ut: fortis.

Dactylus ex longa et duabus brevibus, ut: aethera.
Anapaestus ex duabus brevibus et longa, ut: liquidas.
Tribrachis ex tribus brevibus, ut: legere.
Molossus ex tribus longis, ut: felices.
Creticus ex longa, brevi et longa, ut: floridi.
Amphibrachis ex brevi, longa et brevi, ut: sedetis.
Bacchius ex brevi et duabus longis, ut: cadentes.
Antibacchius ex duabus longis et brevi, ut: ignotus.
Paeon 1. constat ex choreo et pyrrichio, ut: flebilibus.

2. ex iambo et pyrrichio, ut: recepimus.
3. ex pyrrichio et choreo, ut: redamamus.
4. ex pyrrichio et iambo, ut: agilitas.
Epitritus 1. ex iambo et spondaeo, ut: vagabundi.
2. ex choreo et spondaeo, ut: cogitantes.
3. ex spondaeo et iambo, ut: festivitas.
4. ex spondaeo et choreo, ut: psallebamus.
Ionicus maior ex spondaeo et pyrrichio, ut: facundia.
Ionicus minor ex pyrrichio et spondaeo, ut: venerantes.
Proceleusmaticus ex duobus pyrrichiis, ut: relegite.
Dispondaeus ex duobus spondaeis, ut: confirmavi.
Diiambus ex duobus iambis, ut: serenitas.
Dichoreus ex duobus choreis, ut: edocere.
Choriambus ex choreo et iambo, ut: caerulei.
Antispastus ex iambo et choreo, ut: perennatis.
Dochmius ex bacchio et iambo, ut: reluctantium.

Ultimo invenitur quidam pes ut ita dicam pyrrichianapaestus, qui ex pyrrichio et anapaesto componitur, ut: tremefacerent.

5. Hi pedes in usu oratorum sunt et invicem sibi permiscentur, quamquam alii principio, alii medio, alii fini sunt aptiores. Principio itaque hi pedes accomodantur: Creticus geminatus, creticus cum spondaeo, anapaestus cum cretico, molossus celeriori pede temperatus, dochmius geminatus, dichoreus spondaeus et dochmius, spondaeus cum anapaesto, tribrachis cum cretico, iambi duo cum spondaeo. In medio sunt hi pedes secundum rei exigentiam adhibendi. Si celeriter aliquid exprimendum est, dactylis, anapaestis, iambis, pyrrichiis, tribrachibusque utendum; si gravius quidpiam ac sedatius dicetur, tardiores pedes usurpandi. In conclusione denique hi pedes locum habent: choreus cum spondaeo, tribrachis cum molosso, choreus cum dispondaeo, paeon tertius, epitriti omnes, ionicus minor, antispastus, bacchius cum iambo.

6. Cavendum vero est, ne in versum periodus desinat neque in hoc raritas oratoris imitanda. Et quoniam ad numerum oratorium (quamvis potius ad dignitatem) periodi spectare videntur, quae sunt elocutionis optima atque nobilissima pars, quamque ego plurimum commendo non ignarus oratorum nomen eos non mereri, qui hac parte non excellunt, idcirco hoc praesenti capite qua potero diligentia maxima hanc doctrinam enucleabo.

C A P U T VI.

De Periodis.

1. PERIODUS est coagmentatio ex incisis et membris confecta, absolvens perfectum sensum. Incisum, graece comma, est pars orationis brevissima sensum aliquem exhibens. Ita quidam; Mihi vero Incisum est pars aliqua periodi. Extenditur hoc ad decem syllabas. Sen. Quae gloria est capere multum. Reducitur etiam ad unam ut: Fac, nisi cogi velis. Aliquando incisum perfectum sensum implet. Sen. Tota rerum natura umbra est. Item: Nos quoque floruimus. Aliquando membri vicem in componenda periodo subit. Cic. Est vero fortunatus ille, cuius ex salute non minor paene ad omnes, quam ad illum ventura sit, laetitia pervenerit. Haec periodus est actu bimembris, licet primam eius partem incisum loco membri occupet. Caesim dicit orator in arguendo potissimum, refellendo, certando cum adversariis. Cicero, Pro Plano. Magnae sunt in te opes, late patet gratia, multi cupidi tui, multi fautores laudis tuae, multi huic invident.

Membrum, graece colon, est sententiae comprehensio inciso longior, quod sic dicitur, quia est pars integri, divulsa ab eo. Sen. Magna pars est profectus velle proficere. - Alterum ex duobus incisis aut pluribus compositum. Cic. Certè in armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, comaeatus multum iuvant. Alterum est simplex, quod sine comate proferatur. Seneca: Maximum remedium irae est mora. Differt membrum ab inciso numero syllabarum, quia supra viginti syllabas ascendit; supra decem vero descendit nunquam. Membratim ibi dicit orator, ubi caesim. Cicero pro Milone: Poluerat stupro santissimas religiones, Senatus gravissima decreta perfregerat, pecunia se palam a iudicibus redemerat, vexaverat in Tribunatu Senatum, omnium Ordinum consensu pro salute Reipub. gesta resciderat, me patria expulerat, bona diripuerat, domum incenderat, liberos, coniugem meam vesaverat; Cn. Pompeium nefarium bellum indixerat, Magistratum privatorumque caedes effecerat, domum mei fratris incenderat, vastarat Etruriam, multos sedibus ad fortunis eiecerat, instabat, urgebat. - Adverte hic incisa membris permixta.

2. Periodi propriae dictae sunt 4 praeter suas divisiones: Monocolos, dicolos, tricolos, tetracos. Impropriae sunt 5. Schinotenes, periodus pneumatica, periodica circumductio, pneuma, tasis.

3. Monocolos sive unimembris est, quae uno tantum membro constat, ut: Nunquam viri docti nomen, qui cum litteris virtutem non coniunxerit, assequetur. Cicero: Quid quidem meum consilium minime obscurum fuit. - Differunt a membro simplici flexu verborum et traiectione.

4. Dicolos est, quae ex duobus membris componitur. Unde latine bimembris appellatur, ut: Tanto faciliore negotio etiam summa vitia eradicantur, quanto aliquis fuerit hac in re constantior. Cicero: Negant intueri lucem fas esse ei, qui a se hominem occisum esse fateatur. - Haec periodus duplicem formam habet. 1. Dicitur Isocolos, cum utrumque membrum fere est aequale numero syllabarum ut: Quo quis fuerit celsior honoris fastigio, eo venustius niteat virtutum ornamento. Cic. Nulla est enim tanta vis tantaque copia, quae non ferro debilitari frangique possit. Idem: Quare in qua urbe Imperatores prope armati Poetarum nomen et Musarum delubra coluerunt, in ea non debent togati Iudices a Musarum honore et Poetarum salute abhorrere. 2. Anisos dicta cum notabiliter unum membrum altero minus est, ut: Sobrietas homines maxime decorat; contra ebrietatis detestabilis et maxime infanda est turpitudine. Ci -

cero: Nihil nobis est opere aut manu factum, quod aliquando non conficiat et consumat vetustas. - Porro hanc periodum rhetores iterum dividunt in Macrocolon, cum posterius membrum priorē longius est. Cic.: Non nobis ille deprecatione rediit, sed in dissensu civium exercitu se armisque vindicavit. - Et in Mikron, cuius prius posteriori membro longitudine syllabarum praefertur. Cicero: Sit igitur, Iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc Poetae nomen, quod nulla unquam barbaria violavit.

5. Tricolos est, quam tria membra constituunt, quocirca Latinis Trimembris dicitur. Elegantissima est, cum scilicet uni prothesi bina respondet apodosis, ut: Non in cassum preciosum tempus gemmeusque sudor acquirendis scientiis impenditur, cum earum sectatores et vulgum antecellunt et temporaneis aeternisque praemiis locupletantur. Cic.: Res vero publica quamquam erat exterminata necum, tamen observabatur ante oculos exterminatoris sui et ab istius inflammato atque ignito furore iam tum me seque repetebat. - Vel cum binis prothesibus una respondet apodosis, ut: Quicumque proprii honoris et aestimationis nullam curam ex composito gerit et omnia caduca fluxaque bona mundi laeto animo despicit, eum nunquam affligi ac ne mutari quidem existimo. Cic.: Cum eos, qui in conventu virorum bonorum verba de salute mea fecerant, adesse iussisti, eorumque advocationem manibus, ferro, lapidibus dispulisti, tum profecto ostendisti vim tibi maxime displicere. - Haec periodus dicitur isopleuros, cum omnia fere membra paria sunt numero syllabarum, ut: Quisquis optimū Numen amaverit eique fidelis esse voluerit, omnino omne peccatum vitabit. Cicero. Adde ascitiam pransi, poti oscitantis ducis, qui cum a tergo hostem interclusum reliquisset, nihil de eius extremis comitibus cogitavit. - Dicitur isostelis, cum primum vel ultimum membrum aliis duobus aequalitate syllabarum non respondet, ut: Frequens Passionis Christi meditatio non solum nostram mentem a peccatis purgat, sed etiam contra adversa firmat. Cicero: Miseros interdum cives optime de Republica meritos, in quibus homines non modo res praeclarissimas obliviscuntur, sed etiam nefarias suspicantur. - In his exemplis ultimum membrum prioribus est brevius, at in sequentibus primum, ut: Tanta est nostra caecitas, ut nolimus donare proximis offensas, licet nobis a Deo velimus donari. Seneca: Admiror dementiae nostram, quod tantopere anamus rem fugacissimam, cum omne momentum mors prioris habitus sit.

6. Tetracolos est, cui perficiendae quatuor membra necessaria sunt, quapropter apud Latinos quadrimembris dicta est. In hac potissimum duobus prothesibus apodosis bina respondet. Petrus Damianus: Quisquis carnalis illecebrae ignibus aestuat et sacris assistere mysteriis non formidat, sicut nunc aestuantis luxuriae flamma decoquitur, ita postmodum gehennae incendiis consumetur. Cicero: Nam cum in ipso beneficio vestro tanta magnitudo est, ut eam complecti oratione non possum, tum in studiis vestris tanta animorum declarata est voluntas, ut non solum calamitatem mihi detraxisse, sed etiam dignitatem auxisse videamini. Idem elegantissima quadrimembri exorsus est orationem pro Caecina: Si quantum in agro locisque desertis audacia potest, tantum in foro atque iudiciis impudentia valeret; non minus in causa cederet A. Caecina S. Aebutii impudentiae quam tum in vi facienda cessit audaciae. Sequitur quoque ibidem similis periodus.

7. Schinotenes (prima ex periodis impropriis) est colon prolixum, quasi in modum longi funis extensum, unde et nomen habet. Fit haec dupliciter. 1. Traiectione verbi et alterius pluriumque membrorum interiectione. Curtius de Alexandro: Ceterum ingentia animi bona illam indolem qua omnes reges antecessit, illam in subeundis periculis constantiam, in rebus molliendis efficiendisque velocitatem, in deditos fidem, in captivos clementiam,

in voluptatibus permissis quoque et usitatis tolerantiam haud tolerabili vini cupiditate foedavit. Cicero: Est autem hic, de quo loquor, non philosophia solum, sed etiam litteris quod fere caeteros Epicureos negligere dicunt perpolitus. 2 Cum unicum colon brevissimis incisus distinctum protenditur. Cicero: Tu continentiam, tu industriam, tu animum in Rempublicam, tu virtutem, tu innocentiam, tu labores tuos, quod aedilis non sis factus fractos esse et abiectos et repudiatos putas? Nota. Schinotenem debere esse unimembrem actu, multimembrem potestate.

8. Periodus pneumatica est, quae constat membris longioribus et prolixis adeo, ut usque ad notabile respitium dicentis protrahatur eo quod membra eius schinotenicam longitudinem imitentur. Cicero, Ad pont: Quid homini teterrimo, crudelissimo, fallacissimo, omnium scelerum libidinumque maculis notatissimo, L. Pisoni nonne nominatim populos liberos multis Senatus consultis, etiam recenti soceri lege liberatos, vinctos et constrictos tradidisti? nonne cum ab eo merces beneficii tui pretiumque meo sanguine tibi esset persolutum, tamen aerarium cum eo partitus es? Idem: Ecquis unquam reus, praesertim in hac vitae ratione versatus, in honoribus petendis, in potestatibus, in imperiis gerendis sic accusatus est, ut nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitude, quae a libidine, aut a petulantia, aut ab audacia nata esset, ei ab accusatore obiceretur, si non vera, attamen ficta cum aliqua ratione ac suspitione? NOTA. Omnes bimembres, trimembres et alias multimembres periodos, quae constant ex schinotenicis membris carentque suis redditionibus ac propositionibus, omnino propter suam longitudinem esse dicique Pneumaticas.

9. Periodica circumductio est illa dicendi forma, quae aliquo modo periodo similis est, non tamen habet requisitas condiciones ad proprie dictam periodum. Continet in se frequentar epanalypsim, per quam vox aliqua, plura membra vel periodos potestate existentes coniungens, repetitur. Cicero Nam cum multa sint regia in Deiotaro, tum ulla maxime, quod tibi nummorum nullum dedit, quod eam partem legis tuae, quae congruebat cum iudicio Senatus, non repudiavit, quod Pessinuntem per scelus a te violatum et sacerdote sacrisque spoliatum recuperavit, ut in pristina religione servaret, quod caerimonias ab omni vetustate acceptas a Brogitaro pollui non sivit mavultque generum munere tuo, quam illud fanum antiquitate religionis carere. Aliquandō similis est incisus, sed propositionibus atque redditionibus sive dissolutis, sive connexis ab his differt, ut: Castigaris, tamen delinquis; ad bonum impelleris, tamen malus es. Cic. Pro Mil.: Quid opus tortore? quid quaeris? occideritne? occidit; iure an iniuria? nihil ad tortorem. - Idem: Est in imperio terror: patientur; est in adventu sumptus: ferent; imperabitur aliquid muneris: non recusabunt.

10. Pneuma est orationis compositio, quae multa colona et commata complectens; ad spiritum usque Oratoris et laterum sufficientiam extenditur. Habet duas partes: "Dianiam", sive intentum, quod longius est ac medium sensum comprehendit, et Epilogum, qui brevior ac reliquum sensum perficit. Cicero: Quare quis tandem me reprehendat aut quis mihi iure suscenseat, si quantum ceteris ad suas res obeundas, quantum ad festos dies ludorum celebrandos, quantum ad alias voluptates et ad ipsam requiem animi et corporis conceditur temporis, quantum alii tribuunt in tempestivis conviviis, quantum denique aleae, quantum pilae, tantum mihi egomet ad haec studia recolenda stimpsero. - Vide huius orationis initium et Milonianae tali periodo absolutum.

11. Tasis est longissima periodi impropriae forma, quae sola prolixitate a pneumate differt, quoniam spiritum dicentis excedit ac defatigat.

Latinis extensio nominatur, nam et prothesim et apodosim mirae longitudinis habet. Cicero: Quamquam te, M. fili, annum iam audientem Cratippum idque Athenis abundare oportet praeceptis institutisque Philosophiae propter summam et doctoris auctoritatem et urbis, quorum alter te scientia augere potest, altera exemplis, tamen ut ipse ad meam utilitatem semper cum graecis latina coniunxi, neque id in Philosophia solum, sed etiam in dicendi exercitatione feci, idem tibi censeo faciendum, ut parsis in utriusque orationis facultate.

12. Nota 1. Periodorum proprie dictarum usum esse in historia, praecipue et genere tam deliberativo quam exornativo. Nota 2. Schinoteni, periodicae circumductioni, pneumaticaeque locum dari in rebus magnis, tam tristibus quam laetis, et cum plura simul argumenta congeruntur, aut cum tacitae aliorum oblectationes solvuntur. Nota 3. Pneuma et tasim adhibendas esse in congerie, quando totum dividitur in partes, quando omnes res gestae alicuius, omnia crimina scelerati, omnia consilia amicorum vel prudentis viri, aut divina beneficia humano generi collata vel similia quaedam enumerantur. Nota 4. Suam cuique naturam esse spectandam; qui enim firmam vocem et robusta latera habet, prolixioribus, qui vero his destituitur, brevioribus periodis utatur necesse est. Nota 5. Periodos varie amplificari solere ac posse, quod c. 10 monstratur; attamen ex omnibus modis is praestantissimus est et exercitio tyronum accommodatissimus, cum hae per adiuncta: Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando dilatantur, cuius rei habes praxes in Reg. Artium et Or. Scholastico.

C A P U T VII.

De tertia Elocutionis Virtute, Dignitate,
quae consistit in Tropis.

1. TERTIA VIRTUS ELOCUTIONIS est Dignitas Eloquentiae tam in Tropis, quam in Figuris utriusque generis (licet in periodis etiam illi locum demus) posita. Sed quoniam de his omnibus prolixior tractatum est, ideo hic tantummodo de Tropis, reliquis capitibus de figuris acturus.

2. Tropus est verbi vel sermonis a propria significatione ad impropriam cum virtute translatio. Haec definitio inclusam habet divisionem Troporum, qui sunt duplices. In uno verbo 7: Metaphora, synecdoche, metonymia, antonomasia, onomatopoeia, catachresis, metalepsis. In sermone, sive oratione 5: Allegoria, ironia, periphrasis, hyperbaton, hyperbole. Deducitur Tropus a graeco "trepō"; quod significat. muto seu verto. Unde latine dicendum est mutatio seu versio. Inventus autem Tropus necessitatis gratia, retentis causa delectationis et usurpatur iam maximae dignitatis ergo ac ornamentum.

3. Metaphora Latinis translatio est, cum verbum propter similitudinem a propria significatione ad impropriam transfertur. Cicero: Maiore est malo mactandus, quod non solum facto tuo, sed etiam exemplo Republicam vulnerasti. Quadruplex est Translatio: 1. Ab animatis ad animata, ut cum dicimus hominem latrare, quod proprium est canum. 2. ab inanimatis ad inanimata, ut: Virtutis luce nihil clarius est. 3. ab animatis ad animata. Cicero: Quis erat sensus armorum tuorum? 4. ab inanimatis ad animata. Cicero: Homines florentissimi nostrae civitatis. Aliquando metaphora geminatur. Sic Virgilius: "ferrum armare veneno" dixit. Sed huius tropi usus sit moderatus, ne obscuretur oratio.

4. Synecdoche, lat. Intellectio, est cum pro uno ponitur aliud. Octo modis fit. 1. Cum ponitur pars pro toto, e.g. puppis vel prora pro navi. Virgilius: ancora de prora iacitur, stant litore puppes. 2. Totum pro parte,

e.g. Fons pro aqua, ignis pro scintillis. Cicero: Lapidum conflictu atque tritu elici ignem videmus. 3. Unum pro pluribus; e.g. Miles pro exercitu, hostis pro hostibus. Mart. Venit et epoto Sarmata pastus equo. 4. Pro una plura, e.g. Nos pro ego, oratores pro oratore. Cicero: O stultos Camillos, Fabricios, Collatinos, Scipiones, Marcellos, Maximos! 5. Species pro genere, e.g. Boreas pro quovis vento, Noricus ensis pro quovis ense. Hor. Luctantem Ioaridis fluctibus Africum. 6. Genus pro specie, e.g. fera pro leone vel urso, ales pro aquila. Ovidius: Magna minorque ferae, quarum regit altera Graias, altera Sydonias, utraque sicca, rates. 7. Consequens pro antecedentibus, e.g. fumus pro igne, nox pro occasu, dies pro ortu. Et iam summa procul villarum culmina fumant. 8. Antecedentia pro consequentibus, e.g. aurora pro die; vixerunt pro mortui sunt; occubuit pro expiravit. Statius: Longeque diem vitamque reliquit. Hic tamen tropus aliqua ex parte frequentior est poetis, quam oratoribus.

5. Metonymia sive Hypallage, lat. summitatio, est cum res una pro alia intelligitur. Fit 6 modis. 1. Causa substituitur pro effectu, aut inventor pro re inventa usurpatur, e.g.: Bacchus pro vino, Ceres pro pane, Cicero vel Plato pro suis scriptis. Virgilius: Aulae in medio libabant pocula Bacchi. 2. Effectus pro causa. Sic dicitur: pallida mors, audax iuventus, tristis senectus, scelus pro homine scelerato. Horatius: Pallida mors aequo pulsat pede pauperum tabernas, regumque turres. 3. Contingens pro contento, e.g. civitas pro civibus, regnum pro incolis et similia. Cicero: Testis est Italia, Sicilia, Gallia, pro Gallis et ct. 4. Contentum pro contingente, e.g. vinum pro vasis. Virgilius: Crateres magnos statuunt et vina coronant. 5. Possessor pro re possessa. Virgilius: Iam proximus ardet Ucalegon, pro domo Ucalegontis. 6. Dux pro exercitu et signum pro re signata, ut: Alexander totum orientem armis subegit. Item: Cedant arma togae.

6. Antonomasia est cum aliquid pro nomine adducitur. Fit octo modis. 1. Dignitas hominis pro nomine sine nomine, ut stoicae familiae assertor pro Zenone; cum nomine, ut romanae facundiae parens Tullius. 2. Ponitur definitio, ut: Facultas bene dicendi, pro rhetorica. 3. Vocabuli ethymologia, ut: Aurei oris pontifex, pro Chrysothomo. 4. Patria, ut: Aquinas, pro D. Thoma, Abulensis, pro Alphonso Tostato, Episcopo Abulae. 5. Nominis descriptio, ut: Troiani belli scriptor, pro Homero. 6. Dictum pro dicente, ut: Ille qui aurum sacrum famem appellavit, pro Virgilio. 7. Appellativum pro proprio, ut Urbs, pro Roma. 8. Proprium, pro appellativo, ut: Croesus pro divite, Irus pro paupere, Euclio pro avaro, Sardanapalus pro delicato. Tropus hic usitatissimus et amplificat orationem et ornat.

7. Onomatopoeia, Latinis fictio nominis, est cum aliquod novum nomen efficitur quo ipsam rem significatam volumus imitari. Sic dicimus lupum ululare, ^{ovem balare} tubam tarantalarare. Sed cum magno iudicio hoc genere utendum, raro nimirum et commode.

8. Catachresis Latinis abusio est, cum verbo simili et propinquo pro certo et proprio abutimur; si licentius ait Cicero, non tamen impudenter. Sic grandis oratio pro longa, minutus animus pro parvo dicitur. Virgilius: Instar montis equum divina, Palladis arte aedificant. Triplex est Catachresis. 1. Soluta, quae ferme fit necessitatis causa. 2. Ligata, qua poetae citra necessitatem utuntur. 3. Singularis, cum singulari consilio pro re aliqua usurpantur, quae sunt ei proxima. Differt a translatione, quod sit illa audatior et licentior, haec rarior.

9. Metalepsis, Latinis transumptio, est quae ex alio in aliud velut viam monstrat. Rarissimus hic et maxime improprius, ut: Post aliquot. mea regna videns mirabor aristas.

10. Allegoria, Latinis inversio, est quae aliud verbis, aliud sensu ostendit ac interdum contrarium, ut: Claudite iam rivos, pueri, sat prata biberunt, i. e.: Cessate, iam satis cantatum est. Triplex est: Pura (cuius usus rarior apud oratores), cum tota oratio, hoc est periodus, allegorice exponitur. Cicero: Hoc miror queror quae, quendam hominem ita alterum pessumdare verbis velle, ut etiam navem perforet, qua ipsa naviget. Clarus sensus: Sua vitia tangat. Item Persius: Tecum habita et noris, quam sit tibi curta supellex; i. e. attende tibi. 2. Mixta, cum aliquid extra allegoriam nominis vel verbi non translatis apponitur. Cicero: Sed quoniam emersisse iam evadis et scopulos videtur praetervecta oratio mea, perfacilis mihi reliquus cursus ostenditur. 3. Composita, cum similitudinis et metaphora gratia adiungitur assertique Cyprianus hoc genus allegoriae spectatissimum. Cicero: Quod fratrum, quem Eurypum, tot motus, tamque varias habere, creditis, agitationes, commutationes, fluctus, quantas perturbationes et quantos aestus habet ratio Comitiorum? Nota. Pulchrum esse, immo necessarium, ut eadem allegoria, qua inchoasti periodum vel orationem concludas, huicque in familiaribus etiam colloquiis locum dari; sed fuge tamen illius usum crebrum, ne obscurus fias.

11. Ironia, Latinis illusio, irrisio, explosio, est tropus, qui contrarium eius significat, quod verbis dicitur. Cicero: Homo enim videlicet timidus et permodestus, vocem Consulis ferre non potuit, simul atque in exilium iussus est, paruit. Species ironiae sunt quinque. 1. Sarcasmus, qui est plena odio hostilis irrisio vel iocus cum amaritudine. Virgilius: En agros, en quam bello, Troiane, petisti Hesperiam metire, iacens. 2. Astesmus, Lat. urbanitas, rustica simplicitate carens. Virgil.: Qui Bavium non odit, amet tua carmina, Moevi. 3. Mysterismus, simulata quidem, sed non latens irrisio, quod Persius vocat naso suspendere adunco et in gestu magis haec quam verbis appareret fitque, cum naso suspensio aliquid fastidimus. 4. Diasyrmus, Lat. elevatio, quando ludentes ea, quae ab adversario dicuntur, dissolvimus. Cicero: Tu caves, ne tui consultores, ille, ne urbes aut castra capiantur. 5. Charientismus fit, cum dura mollibus verbis mitigamus. Terentius: Bona verba quaeso. Dicitur Latinis faceta cavillatio. Tropus hic apud dissolutos in aulis praesertim laxioribus frequentissimus, at apud modestiae et caritatis amantes rarior, nisi gratia boni pique leporis adhibeatur.

12. Periphrasis, Latinis circuitio, est, cum pluribus verbis id, quod uno aut paucioribus dici poterat, explicatur. Cicero haec tria verba: Privatus dives insolescit, sic amplificat: Singularis homo privatus, nisi magna sapientia praeditus, vix facile sese regionibus officii magnis in fortunis et copiis continet. Hic tropus apud poetas latior. Ovidius haec: Multa mala pertuli, non minus eleganter, quam fuse exponit: Quot frutices silvae, quot flavas Tybris arenas, Mollia quot Martis gramina campus habet, Tot mala pertulimus. - In periphrasi tyrones maxime decet exerceri, maturioribus ea maturo cum iudicio utendum.

13. Hyperbaton, Lat. transgressio, tropus est, qui cum decore et dignitate ordinem transvertit. Duplex istius species. 1. Perversio, cum id, quod debuit antecedere, ornatus gratia sequenti verbo immediate postponitur, ut mecum, nobiscum, quicum, qua de et et. Cicero: Ego tecum tanquam mecum loquor. 2. Transiectio, cum nomen aut verbum, sine quo sensus perfectus ha-

beri non potest, in finem incisi vel periodi transfertur. Cicero: Plurimā in foro caede facta. Idem: Animorum nulla in terris origo inveniri potest. Vide exemplum elegans sub schinotēne; cum sale tamen hoc tropo utere, ne sensum confundas et periodos inepte, quod multi solent, concludas. Cum enim putant eleganter a se voces transponi, gravitatem orationi detrahunt et claritatem.

14. Hyperbole, Lat. superlatio, est, cuius virtus ex adverso par augendi vel minuendi. Cicero Antonii nequitiam, aut potius infamem prodigalitatem sic atget: Quae Charybdis tam vorax? Charybdim dico, quae si fuit, fuit animal unum. Oceanus, medius fidius, vix videtur tot res tam dissipatas, tam distantibus in locis positas, tam cito absorbere potuisse. - Minuit Muretus nasum Pauli cuiusdam hoc distycho

Quam quae per radios volitant corpuscula Solis,
Maioram nasum vix, puto, Paulus habet.

Quae de fontibus tropi huius dicta sunt, vide Reg. Art. 1.3 cap. 2.3.

C A P U T VIII.

De Figuris Verborum.

FIGURA est quaedam conformatio orationis, remota a communi et primum se offerente sermone differt a tropo, quod hic in translatis tantum verbis, illa simil in propriis ac translatis consistat. Duplices sunt figurae: aliae in verbis, aliae in sententiis, quā inter haec est differentia. Quia verborum figurae tolluntur mutatis verbis, sententiarum verō permanent, quocumque demum verbo orator utatur. Atque de his sequenti capite, de verborum praesenti agemus.

2. Figura verborum est, quae ex certis conficitur dictionibus, quibus sublatis ipsa quoque tollitur, ut: Peccatum hominem divina gratia spoliat; peccatum animae letum insert; peccatum caeli postes obserat; peccatum denique ad stygium barathrum peccatorem trahit, qua pondere suo, qua malitia. Haec dictio, peccatum, in singulis membris ac incisis ab initio posita, constituit figuram. Repetitionem dictam, quod si tantum semel initio membri primi collocata fuerit et ex reliquis sublata, nulla amplius erit figura, quia, sublato verbo, tollitur figura, quam constituit verbum.

3. Figurae verborum sunt triplicēs. 1. Quae sunt per Adiectionem, sunt novem: Repetitio, conversio, complexio, conduplicatio, traductio, incrementum, gradatio, congregatio, multicopula; quibus ego decimum epitheton adicio, quamvis non ignorem hoc a quibusdam inter Tropos poni, et antonomasiae adnumerari. 2. Quae per Detractionem sunt, sex sunt: Ecclipsis, dissolutio, adiunctio, disiunctio, articulus, membrum. 3. Per similitudinem totidem: Anonominatio, similiter cadens, similiter desinens, compar, contrapositum, commutatio. Omnes hoc ordine cum exemplis subicio.

4. Repetitio, gr. anaphora, est, cum eodem verbo continenter inchoantur incisa, vel membra, vel etiam iustae periodi. Cicero: Quid agis? Acti? Tu periculum capitis, tu indicium sceleris, tu fortunas alterius literis conscriptas in iudicium afferas, neque earum auctorem litterarum, neque obsignatorem, neque testem nominabis? - Species repetitionis est Epanalipsis, cum eadem dictio initium et finem occupat. Cicero: Vidimus tuam victoriam, proeliorum exitu terminatam; gladium in urbe, vagina vacuum, non vidimus. Virgilius: Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa.

5. *Conversio*, gr. *Antistrophe*, est, in qua idem verbum continenter in fine repetitur. Cicero: Doce, quam pecuniam Cluentius dederit, unde dederit, quemadmodum dederit.- Drexelius in Josepho: Apostoli Petrus, Paulus, Iacobus, alii, cum adversus diabolum et vitia nos armant, illud identidem clamant: resistite diabolo, resistite. Ambitio invadit vos? resistite; invidia mentem impugnat? resistite; avaritia et pecuniae amor lacessit? resistite; arrogantia supercilium erigit? resistite; acedia et tepor degravat? resistite; libido et lascivia vellicat? hic aliud armorum genus capessendum: fugite, clamant, fugite. Ita vociferat Paulus: Fugite fornicationem.

6. *Complexio*, gr. *Symploce*, est, quae repetitionem simul et conversionem continet. Cicero: Quis eos postulat? Appius; quis produxit? Appius; unde? ab Appio.- Eleganter haec figura usus est praeclarus Scriptor, Iobi textum explicans hunc in modum., Iobus, veluti aberrans via, sollicite indagat: Sapientia ubi invenitur et quis est locus intelligentiae? Proinde si dicat: Quaesivi eam in choreis, inter tripudia et non inveni; quaesivi eam in triclinio ad epulas et pocula et nec vestigium illius inveni; quaesivi eam in conclavi ad abacum et chartulas lusorias et minime inveni; quaesivi eam in cellis vinariis, ad plenos vini Dominici, Opiniani cados et non inveni; quaesivi eam in aulis et Regum turribus, sed nec illic invenire potui; quaesivi eam in cubiculis, ubi ad speculum iudicem tota hora comitur caput et quaesitam non inveni; quaesivi eam etiam in curiis, inter Senatorum subsellia, sed heu! neque hic quidem sublimiorem illam Sapientiam inveni. Quo tandem eundem: Nescit homo pretium eius.

7. *Conduplicatio*, gr. *Anadiplosis*, est, cum unum idemque verbum vel immediate, vel aliquo alio aut parenthesi intercedente, vel etiam integro membro interposito, geminatur. Retinete, retinete hominem, Iudices; parcite et conservate. Idem: Grave est hoc crimen in Verrem, grave, me agente, te accusante. Idem: Bona, me miserum! (consumptis enim lacrimis tamen infixus animo haeret dolor) bona, inquam, Cn. Pompei acerbissimae voci subiecta praeconis.

8. *Traductio*, gr. *Polyptote*, est, cum idem nomen, aut verbum, saepius in clausula ponitur, mutatis tamen genere vel numero in nomine, modo, tempore, persona vel numero in verbo. Cicero: Semper aliqui acquirendi sunt, quos diligamus et a quibus diligamur, caritate enim benevolentiaque sublata, omnis e vita sublata iucunditas.- Nota. Multorum sententia illa etiam verba ad traductionem pertinere, quae duplicem habent significationem atque diversarum sunt partium vel certe diversi casus exstant utrumque, ut: Quid facies, tibi, cum facies, sit turpis. Adorna cor, solique stude corde placere Deo. Cicero: Cum eam rem tam studiose curas, quam multas tibi dabit curas. Item: Festuca fectuca pellitur.- Haec tamen a quibusdam iuguntur Annominationi.

9. *Incrementum*, gr. *Auxesis*, est, cum ab infimo ad summum gradatim pervenit oratio. Cicero: Nec intelligit satis esse viris fortibus didicisse quam sit pulchrum, beneficio gratum, fama gloriosum tyrannum occidere.

10. *Gradatio*, gr. *Clymax*, est, cum de verbo in verbum, quasi quibusdam gradibus, fit ascensus ita, ut semper proximum repetatur. Cicero: Si debuisset, Sexte, petisses statim, si non statim, paulo post quidem, si non paulo post, at aliquando.

11. *Congregatio*, gr. *Synonymia*, est cum verba, idem significantia, in unum locum congeruntur. Cicero: Abiit, excessit, erupit, evasit.- Nota

non verba solum, sed etiam sensus idem facientes coacervari. Cicero: Perturbatio istum mentis et quaedam scelerum offusa caligo et ardentes furiarum faeces excitarunt.

12. Multicopula, gr. Polysyntheton, est schema, coniunctionibus abundans, cum ornamento, poetis frequentissimum. Quid ergo est, quod et reus is sit, cui et pecunia levissima et existimatio sanctissima semper; et Iudex is, quem non minus bene de nobis existimare, quam secundum nos iudicare velimus; et advocatio est ea, quam propter eximium splendorem ut iudicem unum Virgilius: Tecumque, laremque, armaque., Amicleumque, canem - Cressamque, pharetram. Nota. Vitiorum quibusdam videri hoc schema, cum revera ornamento sit, si commode et necessario fiat.

13. Epitheton est commoda alicuius adiectivi ad substantivum nomen appositio. Cicero: Vereor, ne turpe sit pro fortissimo viro dicere incipientem timere.

14. Privatio, gr. Ecclipsis, est, in qua subtractum verbum aliquod ex caeteris intelligitur. Cicero: Ego si Tyro ad me, cogito in Tusculanum. Duo hic desunt: "venerit" et "proficisci". A frequenti tamen ecclipsi cave.

15. Dissolutio, gr. Asyntheton, est, cum demptis coniunctionibus plura dicuntur. Cicero: Vadimonium mihi deservit, me fraudavit, a meminis eius quod inficiatus est diem petiit; ego experiri non potui, latitavit, procuratorem nullum reliquit.

16. Adiunctio, gr. Zeugma, est, cum plures sensus uno verbo copulantur, sive illud medium, sive ultimum, sive primum sit. Cicero: Sic a me Consul designatus defenditur, ut eius nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nulla crudelitas, nullumque petulans dictum in vita proferatur.

17. Disiunctio, gr. Dialyton, est, cum eorum, de quibus dicimus, unum quodque certo clauditur verbo. Virgilius: Ferre citi flammis, date tela scandite muros. Pulcherrima est illa disiunctio, cum praecedentibus nominibus solutis totidem verba sequentia respondent. Cicero: Armis, viris, terrore periculoque mortis repulerit, fugaverit, averterit.

18. Articulus, gr. Analyton, est, cum singula verba, aut nomina, aut adverbia intervallis distinguuntur caesa oratione. Cicero: Cui repente caelum, solem, aquam terramque ademerunt.

19. Membrum, gr. Colon, est res breviter absoluta sine totius sententiae demonstratione quae denuo alio sensu orationis excipitur hoc modo: Et inimico proderas (huc est unum membrum; deinde ab hoc sequenti excipitur) et amicum non laedebas. Cicero, Pro S. R. Amerino: Quoniam fidem Magistri agnovistis, cognoscite nunc Discipuli aequitatem. - Differentia inter hoc membrum et illud, de quo capite sexto, est colligenda ex definitione et usu utriusque.

20. Annominatio, gr. Paronomasia, est, cum paululum immutata verba atque deflexa in oratione ponuntur. Cicero, Phil. 3: En, cur Magister eius ex Oratore arator factus sit? Fit 4 modis: 1. Detractione. Cicero: Maluerunt de suo more decedere, quam de tuis moribus non dicere. 2. Adiectione. Cicero: Ut ad audendum proiectus, ita ad audiendum paratus. 3. Mutatione unius vel alterius litterae. Cicero: Terret etiam nos ac minatur tribus praediis, hoc est praemiis sceleris ornatus. - Poeta Christianus ad Bibonem. Littera Graeca tibi

multo se miscuit: Arbitraris idem "vivere", quod "bibere". 4. Translatione. Quidam de effigie super lectum posita:

Quam mirare super duro pendere grabato,
Hoc colo MARIAM, nocte aëque loco.

21. Similiter cadens, gr. Homaeoptoton, est, cum similibus syllabis casus terminantur. Cicero, Phil. 2: Nihil est profecto, quod possit dari bellum gerenti; erit fortasse, quod concedi possit roganti.- Vitandus tamen frequens est quasi continenter iunctorum casuum concursus.

22. Similiter desinens, gr. Homaeoteleuton, est, cum verba parem habent exitum. Cic. Phil. 4: Maiores nostri primum universam Italiam devicerunt, deinde Carthaginem exciderunt, Numantiam everterunt, potentissimo reges, bellicosissimas gentes in dicionem huius imperii redegerunt.- Differt a priore, quantum nomen a verbo differt.

23. Compar, gr. Isocolon, est, quod habet in se membra, vel incisa orationis, quae fere pari ex numero syllabarum constant. Cic. Phil. 5 Recedat a Mutina, desinat oppugnare Brutum, decedat ex Gallia, non est verbis rogandus, cogendus est armis.

24. Contrapositum, gr. Antitheton, est, cum contrariis contrariae dictiones opponuntur. Cic. Pro S. R. Amerino. Quos dedi putabas, defendi intelligis; quos tradituros sperabas, vides iudicare.

25. Commutatio, gr. Analysis, est, cum una sententia nascitur ex altera, sibi contraria. Cic. 56 Innocens, si accusatus sit, absolvi potest; nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest; utilius est autem absolvi innocentem, quam nocentem causam non dicere.- Sed haec aut ad sententiarum schemmata, meo iudicio, reicienda est, aut fere a Contraposito parum distabit, si hic locabitur; id tamen sapientioribus relinquo definiendum.

C A P U T IX.

De Figuris Sententiarum.

1. FIGURA SENTENTIARUM est, quae non in verbis, sed in ipsis rebus quandam habet dignitatem; maxime vero huiusmodi exornationes ad grave, vehemens et summum dicendi genus spectant, sicuti superiores ad mediocre. Numerantur autem horum schemmatum 60, hoc ordine alphabetico a me disposita: Abscissio, acclamatio, aversio, brevitatis, communicatio, commoratio, concessio, conclusio, conformatio, congeries, definitio, demonstratio, deprecatio, dialogismus, diminutio, dispositio, dissimilium conflictio, distributio, divisio, dubitatio, effictio, ethopoeia, exclamatio, execratio, exemplum, expeditio, expolitio, enumeratio, frequentatio, imago, increpatio, interclusio, interpretatio, interrogatio, licentia, notatio, obiurgatio, obsecratio, obtestatio, occupatio, optatio, percontatio, permissio, personarum ficta inductio, petitio, postulatio, praecisio, praetermissio, ratiocinatio, relectio, reticentia, sententia, sermocinatio, significatio, similitudo, subiectio, sustentatio, transitio.- Tot schemmata sententiarum multis ex probatissimis authoribus a me summo labore collecta sunt, quae latius diffundo et exemplis illumino.

2. Abscissio, gr. Aposiopesis, est, cum dictis quibusdam reliquum, quod coeptum est, relinquatur in audientium iudicio. Virg. Quos ego, sed motos praestat componere fluctus. Post mihi non simili poena commissa luetis. - Cic. Phil. 2. Productus in contionem a Tribuno pleb., cum respondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te reddidisti. Sed nimis multa demugis; ad maiora veniamus.

3. Acclamatio, gr. Epiphonema, est, cum post narratas sive comprobatas res, vehementiore affectu quasi obstupefactus exclamat orator. - Virg. Tantae molis erat Romanam condere gentem. - Cic. Pro lege Man, n. 45. Et quisquam dubitabit, quid Virtute profecturus sit, qui tantum autoritate profecerit? aut quam facile imperio atque exercitu socios et vectigalia conservaturus sit, qui ipso nomine ac rumore defenderit?

4. Aversio, gr. Apostrophe, est, cum aliquam personam vel rem ad eam conversus orator alloquitur, omisso, quem coepit, sermone. Cic. Pro Mil. Vos, Albani tumuli atque luci, vos, inquam, imploro atque obtestor, vosque Albanorum obrutae arae, sacrorum Populi Romani sociae et aequales.

5. Brevitas, gr. Bracylogia, est res ipsis tantummodo necessariis verbis expedita, Vel cum multa compendii gratia brevissime explicantur. Virgilius totam suam vitam hoc dysticho comprehendit:

"Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope; cecini pasoua, rura, duces.

6. Communicatio, gr. Anacaenosis, est, cum orator alios consulit aut cum illis deliberat. Cic. Pro Quin. Quid agimus? Hortensi, quid de hac conditione dicimus? Possumus aliquando depositis armis, sine periculo fortunarum de re pecuniaria disceptare? Possumus ita rem nostram prosequi, ut hominis propinqui caput incolume esse patiamur? Possumus petitoris personam capere, accusatoris deponere?

7. Commoratio, gr. Epimone, est, cum in eodem loco firmissimo, quo tota res continetur, immoramur diutius et in eundem locum redimus saepius, quod est boni oratoris proprium. Cic. Pro S. R. Amer. In minimis rebus qui mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est; in re tanta, cum is, cui fama mortui, fortunae vivi commendatae sunt atque concredita, ignominia mortuum, inopia vivum affecerit, is inter honestos homines atque adeo inter vivos numerabitur? In minimis privatisque rebus etiam negligentia mandati in crimen iudiciumque infame vocatur, propterea quod, si recte fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum qui mandatum receperit. In re tanta, quae publice gesta atque commissa sit, qui non negligentia privatum aliquod commodum laeserit, sed perfidia legationis ipsius caeremoniam polluerit maculaque affecerit, qua is tandem poena afficietur, aut quo iudicio damnabitur?

8. Concessio, gr. Epitrope, est, cum aliquid, licet iniquum, videmur causae fiducia pati atque concedere. In Verr. lib. 2. Teneat iam sane meos testes Metellus, cogat alios laudare, sicut in multis conatus, modo haec faciat, quae fecit. - Pro Milone idem. Excitate, excitate eum, si potestis, ab inferis; frangetis impetum vivi, cuius vix sustinetis furias insepulti.

9. Conclusio, gr. Epilogus, est, quae brevi argumentatione ex iis, quae ante dicta sunt aut facta, conficit, quod necessario sequitur Cic. Pro Arch. Poeta. Sit igitur, Iudices, sanctum apud vos, humanissimos homines, hoc Poetae nomen, quod nulla unquam Barbaria violavit.

10. Conformatio, gr. Prosopopaea, est, cum aliqua mutares, vel informis et eloquens et habens formam introducitur. Cic. In Verr Sicilia tota, si una voce loqueretur, hoc diceret: Quod auri, quod argenti etc. quod in una - quaque re beneficio Senatus Populique Romani habui, id tu mihi, C. Verrès, eripuisti atque abstulisti, quo nomine abs te sestertium millies repeto.

11. Congeries, gr. Synatroismus, est coacervatio dictionum, res diversas significantium. Cic. Pro Caelio. An vos aliam causam esse ullam putastis, cur an tantis praemiis eloquentiae, tanta voluptate dicendi, tanta laude, tanta gloria, tanto honore, tam sint pauci semperque fuerint, qui in hoc labore versentur? etc. - Coacervantur etiam res odii vel amoris causa, bonae vel malae. Cic. Act. 2. in Ver. 1. 3. n. 16. Scio te Romae, cum Praetor esses, edicto tuo possessiones hereditatis ad alienos, a primis heredibus ad secundos, a legibus ad libidinem tuam transtulisse; scio te dicta superiorum tuorum correxisse et possessiones hereditatum non secundum eos, qui proferrent, sed secundum eos, qui dicerent testamentum factum, dedisse easque res novas, abs te prolatas et inventas, magno tibi quaestui fuisse; scio, eundemque te meminisse censorias quoque leges in sartis tectis exigendis tollere et commutare, ne is redimeret, cuius res esset, ne pupillo tutores propinquire consulerent, quominus fortunis omnibus everteretur exiguum diem praefiniri operi, qua caeteros ab negotio excluderes, cum ipse in tuo redemptore nullam certam diem observares.

12. Correctio, gr. Epanorthosis, est, quae verbum vel sententiam aliquam corrigit aut tollit, aliam substituens. Corrigit Cic. verbum sic: "Ibi te cum et illius largitionibus et tuis rapinis explevisses, si hoc est exple, quod statim effundas". Tollit sic: "Sed stuporem hominis, vel dicam pecudis, attendite". Verum haec correctio ad schemata verborum spectare videtur; at ista huc referenda, qua Cic. In Ver. 1. 2. sententiam corrigit. Nolebat in agendo discere (tametsi non Provinciae rudis erat et tiro), sed in Sicilia paratus ad praedam meditatusque venire cupiebat. - Idem pro Q. Ligario sententiam tollit hoc modo: Pacis equidem semper auctor fui, sed tamen sero, erat enim amentis, cum aciem videres, pacem cogitare; omnes, inquam, vincere volebamus, tu certe praecipue.

13. Definitio, gr. Orysmos, est, quae rei alicuius proprias amplectitur potestates breviter et absolute. Cic. Maiestas Reipub. est, in qua continentur dignitas et amplitudo civitatis.

14. Demonstratio, gr. Phantasia, est, cum ita res verbis exprimitur, ut geri negotium et res ante oculos efferri videatur. Cic. Phil. 13, 4. Ora vobis eorum ponite, Patres Conscripti, ante oculos et maxime Antoniorum: incensum, adspectum, vultum, spiritum; latera, tegentes alios, alios praegredientes amicos; quem vini anhelitum, quas contumelias fore censeatis, minasque verborum? Nisi forte eos pax ipsa leniet, maximeque, cum in hunc ordinem venerint, salutabunt benigne, comiter appellabunt unumquemque nostrum. Non recordamini etc.

15. Deprecatio, gr. Dexis, est, cum auxilium alicuius imploratur, vel animus iratus mulcetur. Cic. Pro Deiot.: Quamobrem hoc nos primum metu, C. Caesar, per fidem et constantiam et clementiam tuam libera, ne residere in te ullam partem iracundiae suspicemur. Per dexteram te istam oro, quam Regi Deiotaro, hospes hospitii, porrexisti, per istam, inquam, dexteram non tam in bellis, quam in praemiis quam in promissis et fide firmiorem.

16. Descriptio, gr. Hynotyposis, est, cum aliquid non aliter efferatur, atque si oculis cernatur. Differre videtur a demonstratione, quod in illa ita exhibeantur res futurae et presentes, quasi iam factae sint, aut videantur geri; in hac praeteritae repraesentantur. Cic. Pro Mur. n. 50: Vultus ip-

sus erat plenus furoris, oculi sceleris, sermo arrogantiae sic, ut etiam exploratus et domi conditus consulatus videretur.

17. Dialogismus, lat. Colloquium est, cum Orator secum, quasi cum aliquo, discurret per interrogationes et responsiones ita, ut duo loqui videantur. Cic. Pro Q.R. Comaedo: Venerat, ut opinor, haec res in iudicium? Certe. Quis erat petitor? Faunius. Quis reus? Flavius. Quis iudex? Clunius.

18. Deminutio, gr. Litotes, est, cum aliquid inesse nobis naturae, fortunae, vel industriae, aut iis, de quibus dicimus, ratione attenuamus; idque modestiae declarandae, aut ostentationis vitandae gratia. Cicero, Pro Arch. poeta: Siquid est in me ingenii, Iudices, quod sentio quam sit exiguum, etc. Dicitur aliter demissio.

19. Disputatio est, cum Orator cum adversario, aut alio quovis contendit ac disceptat. Cic.: Quid? cuiusmodi est illud? tollitur vestrum iudicium, foedus totum excipitur, comprobatur; quod minuit auctionem triumviralem, laudo; quod Regi amico cavet, non reprehendo; quod non gratis sit, indico.

20. Dissimilium conflictio est, cum plura dissimilia, invicem certantia, conglobantur, quae non solum dignitatem, sed aptitudinem etiam orationi afferunt. Civ. Pro Q. R. Comoedo: Illa superior oratio fuit necessaria, haec erit voluntaria; illa ad Iudicem, haec ad C. Pisonem; illa pro reo, haec pro Roscio, illa victoriae, haec bonae existimationis causa comparata.

21. Distributio, gr. Merismos, est, cum aliquid in plures partes distribuitur, quarum singulis quandoque sua redditur ratio. Cic. Pro Ligar. Hoc praecipuum Tuberoni fuit, quod iusto cum imperio ex Senatus consulto in Provinciam suam venerat, hinc prohibitus, non ad Caesarem, ne iratus, non domum, ne iners, non aliquam in Regionem, ne condemnare causam illam, quam secutus esset, videretur; in Macedoniam, in Cr. Pompei castra venit, in eam ipsam causam, a qua erat reiectus cum iniuria.

Drexellius, facundissimus omnino scriptor, aptissime hac figura utitur, ubi patientiam omnibus commendat Ros. p. 2. c. 5. & 7. Omni hominum eata-ti, ordini, statui patientia non decora tantum, sed et necessaria est. Iuvenis es? sustine; plus virium et roboris habes. Senex es? sustine; maior tibi prudentia, longior est experientia, quae vires suggeret. Vir es? sustine; et eum age, quem profiteris. Femina es? sustine; et Christianam te esse memento, quae etiam in ignibus duret. Servus es? sustine; ut saltem animi tui sis Dominus. Pauper es? sustine; ne malum tibi geminet impatientia. Dives es? sustine; ut tibi tuus etiam in caelo thesaurus crescat. Tui iuris es? sustine; nemo vere liber est, nisi qui patiens est. Religiosus es? sustine; nam ideo viam arctam ingressus es, ut quam plurima patiaris. In coniugio vivis? sustine; et cogita, coniugium metropolim esse omnium molestiarum. Caelebs es? sustine; satis tibi sit uxore ac liberis carere, molestissimis oneribus. Virgo es? sustine; nam virginitas, ut Ambrosius vult, facit Martyres, sed non sine pugna. Vidua es? sustine; afflictionum magis est viduitas. Doctus es? et tu quoque sustine; ne non tantum indoctus, sed et fatuus habearis. Quisquis impatiens est, stultus est. Indoctus es? sustine; aequum est, ut non minus sustineas, quam docti; ergo remigem te cogita in procelosissimo mari. Sanus es? sustine; ut sanus maneat; morborum omnium deterrimus est impatientia. Aegrotus es? iam maxime sustine; prima patientiae oppurtunitas est morbus. Consumatissima Christianorum philosophia est: bona facere et mala pati.

22. Divisio, gr. Dialyma, est quae, rem semovens a re, absolvit, ratione subiecta, utramque nonnihil priori similis. Cic.: Cur ego nunc tibi quidpiam obiciam? si probus es, non meruisti; si improbus, non commoveris.

23. Dubitatio, gr. Abulia est, cum Orator, ambiguus existens, quid potissimum dicturus sit, quaerit ex aliquo. Cic. In Verr. act. 2.: Quid agam? Iudices; quo accusationis meae rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen Imperatoris opponitur.

24. Effictio, gr. Characterismus, est, cum effingitur et exprimitur verbis corporis alicuius forma, quod satis sit ad intelligendum. Cic.: Videtis illum sub crispo capillo nigrum, qui eo vultu nos intuetur, ut sibi persecurus esse videatur.

25. Enumeratio est, cum summam aliquid colligitur, sive ad amplificandam orationem, sive ad rem augendam. Cicero In Pis.: Te indemnatum videri putas, quem socii, quem veterani, quem liberi populi, quem stipendiarii, quem negotiatores, quem publicani, quem universa Civitas, quem legati, quem tribuni militares, quem reliqui milites, qui ferrum, qui famem, qui mortem effugerunt, omni cruciatu dignissimum putarunt?

26. Ethopoeia, lat. Imitatio, est, cum una persona, sive praesens, sive absens, ita loquens introducitur, ut ipse modus loquendi, quo Orator utitur, exprimatur. Cic. Pro Quinct. n. 54: Quid ad haec Naenius? ridet, scilicet, nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officii desideremus et instituta bonorum virorum requiramus. Quid inquit cum ista summa sanctimonia ac diligentia? viderint ista officia viri boni, de me autem ita considerent; non quid habeam, sed quibus rebus invenerim, quaerant et quemadmodum natus et quo pacto educatus sim; meministi vetus est de scurra multo facilius divitem, quam patrem familias fieri posse. Haec ille, si verbis non audet, re quidem vera palam loquitur.

27. Exclamatio, gr. Ecphonesis, est, qua dolor, vel indignatio dicentis exprimitur aut augetur per hominis, urbisque, loci, temporis aut rei cuiuspiam, de qua sermo, compellationem. Elegans est, ironica etiam, ut haec apud Cic. Pro Quinct. n. 80: Orem incredibilem! O cupiditatem inconsideratam! o nuntium volucrem! administri et satellites S. Naenii Roma trans Alpes, in Segusianos ludos veniunt! O hominem fortunatum, qui eiusmodi nuntios, sive potius Pegasos habeat!

28. Exsecratio, gr. Areia, cum aliquem merito abominans Orator, ei malum imprecatur. Cic. Phil. q. 110: O detestabilem hominem! sive quod Caesaris sacerdos es, sive quod martui.

29. Exemplum, gr. Paradigma, est alicuius facti vel dicti praeteriti cum certi auctoris nomine propositio; quod rem ornatiorem facit, cum nullius rei nisi dignitatis causa sumitur. Cic. Phil. 12, 27. Sulla cum Scipione inter Calpurnium et Theanum, cum alter nobilitatis florem, alter belli socios adhibuisset, de auctoritate Senatus, de suffragiis populi et de iure Civitatis leges inter se et condiciones contulerunt; non tenuit omnino colloquium istud fidem, a vi tamen periculoque affuit. Possumus ne igitur in Antonii latrocinio aequae esse tuti? Non possumus, aut si ceteri possunt, me posse diffido!

30. Expeditio, gr. Apophasis, est, cum rationibus pluribus enumeratis, quibus aliqua res fieri, aut non fieri potuerit, ceterae tolluntur, una relinquitur, quam nos intendimus. Cic. Necesse est, cum constet, istum fundum

nostrum fuisse, ostendas te aut vacuum possēdisse, aut usu tūm fecisse, aut emisse, aut hereditate tibi venisse; vacuum, cum ego adessem, possidere non potuisti; tuum usu fecisse etiam nunc non potes; emptio nulla profertur, hereditate tibi, me vivo, mea pecunia venire non potuit; relinquitur ergo, ut me vi de meo fundo deieceris. Haec figura, quoniam similis est argumentationi, ad convincendos adversarios multum facit.

31. Expolitio, gr. Tautologia, est, cum in eodem loco manemus et aliud atque aliud dicere videmur. Cic.: Nullum tantum est periculum, quod sapiens pro salute patriae vitandum arbitretur, cum agitur incolumitas perpetua civitatis, qui bonis erit rationibus praeditus, nullum vitae sibi discrimen pro fortunis Reip. fugiendum putabit et erit in ea sententiā semper, ut pro Patria studiose quamvis in magnam descendat vitae dimissionem.

32. Frequentatio est, cum res, in tota causa dispersae, coguntur in unum locum, quo gravior, acrior et crinosior sit oratio; dicitur gr. Anācephaleosis, latinis item Recapitulatio, quod praecipua capita orationis, breviter enumerata, contineat eiusque praecipuus usus in peroratione.

Cic. Pro Caecin. 104 Quapropter, si quid extra iudicium est, quod homini tribuendum sit, habetis hominem, singulari pudore, virtute cognita et spectata fide, amplissimo Etruriae totius nomine in utraque fortuna cognitum, multis signis et virtutis et humanitatis. Siquid in contraria parte in homine offendendum sit, habetis eum, ut nihil dicam amplius, qui se homines coegisse fateatur. Sin hominibus remotis de causa quaeritis, cum iudicium de vi sit, is, qui arguitur, vim se armatis hominibus fecisse fateatur, verbo se, non aequitate defendere conetur, id quoque ei verbum ipsum ereptum esse videatis, auctoritatem sapientissimorum hominum facere nobiscum; in iudicium non venire; utrum Caecina possederit necne, tamen doceri possedisse; multo etiam minus quaeri, Caecinae fundus sit necne, me tamen id ipsum docuisse, fundum esse Caecinae. Cum haec ita sint, statuite, quid vos tempora Reip. de armatis hominibus, quid illius confessio de vi, quid nostra decisio de aequitate; quid ratio interdicti de iure admoneant, ut iudicetis.

33. Imago, gr. Icon, est formae cum forma per quandam similitudinem collatio. Haec simitur aut laudis gratia, ut: ille, ut leo in proelium ruens, obvios quosque sternebat et mactabat. Aut vituperationis, ut: Ego istius pecudis ac putidae canis consilio scilicet aut praesidio niti volebam.

34. Inrepatio est, cum Orator indignitate alicuius rei, ab adversario patratae, commotus, eum perstringit, immo confundit et contundit severiori dictione; Cic. Pro Deiot.: Dii te perdant, fugitive! ita non modo nequam et improbus, sed fatuus et amens es.

35. Interclusio, gr. Parenthēke, est, cum continuationi sermonis medius aliquis sensus intervenit. Cic. Pro Cluent. 146. Ut tibi concedam hoc indignum esse (quod cuiusmodi sit, iam videro) tu mihi concedas necesse est, multo esse indignius in ea civitate, quae legibus contineatur, discedi a legibus. - Notā. Parentheses longas et frequentes ob confusionem orationis vitandas esse, variataque voce, paulo demissius, pronunciandas, quam reliquus orationis textus pronunciatur.

36. Interpretatio, gr. Epexegesis est, cum eadem sententia aliis atque aliis verbis effertur sive motus gratia, sive amplificationis. Cic. Pro Mil. Fingi haec putatis, quae patent, quae nota omnibus, quae tenentur?

37. Interrogatio, gr. Erotesis, est, quoties non sciscitandi gratia, sed instandi, assumitur. Cicero. De Imperio Pompei, 37: Quem enim possumus Imperatorem ullo in numere putare, cuius in exercitu veneant Centuriatus atque venierint? quid hunc hominem magnum aut amplum de Republica cogitare, qui pecuniam, ex aerario depromptam ad bellum administrandum aut propter cupiditatem Provinciae Magistratibus diviserit aut propter avaritiam Romae in quaestu reliquerit? - Utimus etiam, notante Cypriano, interrogationem in iis, quae negari non possunt, aut ubi difficilis est respondendi ratio, aut indignationis et admirationis invidiae, commiserationis/ergo, aut cum acriter imperamus, vel nosmet ipsos rogamus.

38. Licentia, gr. Panaesia, est, cum apud eos, quos vereri debemus, aliquid audacius proferimus aut favori eorum, aut aequitati causae confisi. Cic.: Hic ego aliud alii concedo; Metello, homini sapienti, prorsus non possum ignoscere, si quid stulte facit. - Verum haec securius petitur ab auditoribus e.g. his verbis: Pace vestra dicam, Liceat mihi istud in consessu vestro dicere. Bona venia vestra non occultabo veritatem, sed expromam, etiam quibusdam aegre laturis etc.

39. Notatio, gr. Mimesis, est, cum alicuius natura certis describitur signis, quae sicut notae quaedam naturae sunt attributa, veluti cum gloriosi militis iactantia aut iniuriosi ferocia recensetur. Cic. Pro Q. Roscio Com. 20: Oro atque obsecro vos, qui nostis vitam, inter se utriusque conferte; qui non nostis, faciem utriusque considerate. Nonne ipsum caput et supercilia illa penitus abrasa olere malitiam et clamitare calliditatem videntur? Nonne ab imis unguibus usque ad verticem summum si quam coniecturam affert hominibus tacita corporis figura ex fraude, fallaciis, mendaciis constare totus videtur? Qui idcirco capite et superciliis semper est rasis, ne ullum pilum viri boni habere dicatur? Cuius personam praeclare Roscius in scaena tractare consuevit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur, nam Ballionem illum improbissimum et periurissimum lenonem cum agit, agit Chaeream; persona illa lutulenta, impura, invisa, in huius moribus, natura vitae est expressa; qui quamobrem Roscium similem sui in fraude et malitia existimavit, nihil videtur, nisi forte quod praeclare hunc imitari se in persona lenonis animadvertit.

Differt ab Effictione, quod illud schema, formam alicuius, hoc naturam et internam hominis dispositionem per externa signa depingit

40. Obiurgatio, Increpationi affinis, est qua alicuius scelus aut malitiam consecatur Orator atque in illud invehitur. Cic. Pro Deiot. Quae est ista tam impudens, tam immoderata humanitas? Id circo in hanc urbem venisti, ut huius iura et exempla corrumperes domesticaque tua inhumanitate nostrae Civitati humanitatem inquinares?

41. Obsecratio est, cum aliquid vel suo, vel alterius nomine a quopiam ex audientibus Orator extorquet. Cic. Pro Rab.: Vos obsecro, Iudices, huic optimo viro, quo nemo melior unquam fuit, nomen Equitis Romani, ut usuram huius lucis et vestrum aspectum ne eripiat.

42. Obtestatio est, cum alicuius fides, conscientiam, religio adiuratur ab Oratore et astringitur, ut omnino, quod hic exigit, alter faciat. Cic. Phil. 1, 29. Sed per Deos immortales, te enim intuens, Dolabella, qui mihi semper es carissimus, non possum utriusque vestrum errorem reticere etc.

43. Occupatio, gr. Prolepsis, est, cum id quod obici Oratori possit, prius ipse occupat et refellit. Cic. Verr. 2. Dicet aliquis: Quid ergo in hoc

Verrem reprehendis, qui non modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse? Attendite, iam intelligetis hanc pecuniam, qua via modo visa est exire ab isto, eadem semita revertisse, quid enim debuit etc,

44. Optatio est, quae animi desiderantis affectum explicat. Cic. Utinam, Cn. Pompei, cum Caesare societatem aut nunquam inisses, aut nunquam diremisses! Virg. in pers. Didonis:

Felix heu nimium felix! si litora tantum
Nunquam Dardaniae tetigissent nostra carinae

45. Percōntatio est, cum quidpiam ex aliquo Orator inquirat. Cic.: Hic quaero, Iudices, si illo die gens ista Clodia, quod facere voluit, effecisset; si P. Sextus, qui pro occiso relictus est, occisus esset; fuistisne ad arma ruituri?

46. Permissio, gr. Antanagosis, est, cum roboratus causae fiducia Orator aliquid auditori permittit; similis est Concessioni Cic. De provin. Cons. 16.: Sed fruatur sane hoc solatio atque hanc insignem ignominiam, quoniam uni praeter se inusta est, putet esse leviolem, dummodo, cuius exemplo se consolatur, eius exitum exspectet.

47. Petitio; ut ex ipso verbo conicis, est schema, per quod aliquid a quopiam rogatur. Cic. Primum a Chrysogono peto, ut pecunia fortunisque nostris contentus sit; sanguinem et vitam non petat; deinde a vobis, Iudices, ut audacium scelere resistatis, innocentium calamitatem levetis et in causa Roscii periculum, quod in omnes intenditur, propulsetis.

48. Postulatio est, qua quidpiam postulatur ab audientibus. Cic. Pro S. R. Amerino, 5: Is a vobis, Iudices, hoc postulat, ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam atque praeclaram nullo iuro invaserit quoniamque ei pecuniae vita S. Roscii obstare atque officere videatur, deleatis ex animo suo suspicionem omnemque metum tollatis; sese hoc incolum non arbitratur huius innocentis patrimonium tam amplum et copiosum posse obtinere: Nota: Differentiam esse inter haec schemata atque inter verba eorum.

49. Praecisio, gr. Parasiopesis, non dispar Absolssioni est, cum dictum aliquod, vel sensus interrumpitur et alia subiciuntur. Cic. Philip. 2: Cum respondisses, te rei tuae causa venisse, populum etiam dicacem in te concitasti. Sed nimis multa de nugis; ad maiora veniamus.

50. Pratermissio, sive praeteritio est, cum id, quod maxime inculcat Orator, fingit se nolle dicere. Cic. De provinc. 6: Omitto iurisdictionem in libera civitate contra leges Senatusque consulta; caedes relinquo, libidines praetereo, quarum acerbissimum exstat indicium et ad insignem memoriam turpitudinis et paene ad iustum imperii nostri odium.

51. Personarum ficta inductio; gr. Idoloopia, est, cum quispiam mortuus instar vivi loquens introducit. Cic., Pro Caelio 33, Appium Claudium producit ab inferis, a quo Clodia, nequam foemina, sic arguitur: Mulier, quid tibi cum Caelio? quid cum homine adolescentulo? quid cum alieno? cur aut tam familiaris huic fuisti, aut aurum commodares, aut tam inimica, ut venenum timeres? non patrem tuum videras? non patruum, non avum, proavum, atavum audieras Consules fuisse? non denique te modo Q. Metelli matrimonium tenuisse sciebas, clarissimi et fortissimi viri patriaeque amantiissimi, qui simul ac pedem limine extulerat, omnes prope cives virtute, gloria, dignitate superabat? cui cum ex amplissimo genere in familiam clarissimam

nupsisses, cur tibi Caelius tam coniunctus fuit? cognatus ne? affinis? viri tui familiaris? nihil eorum. Quid igitur fuit, nisi quaedam temeritas ac libido? nonne te, si nostrae imagines viriles non commovebant, ne progenies quidem mea, Q. illa Claudia aemulam domesticæ laudis in gloria muliebri esse admonebat? Non Virgo illa Vestalis Claudia, quæ patrem complexa triumphantem ab inimico tribuno plebei de curru detrahi passa non est? cur te fraternæ vitia potius, quam bona paterna et avita et usque a nobis cum in viris, tum etiam in feminis repetita moverunt? Ideone ego pacem Pyrrhi diremī, ut tu amorum turpissimorum quotidie foedera ferires? ideo aquam adduxi, ut ea tu incestu uterere? ideo viam munivi, ut eam tu alienis viris comitata celebrares?

52. Ratiocinatio, gr. Erotēma, est, per quam nos ipsi a nobis rationem poscimus, quare quidve dicamus, et crebro nosmet a nobis petimus iniuscuiusque propositionis declarationem, e.g.: Qui nimio potu ventrem ac mentem onerat, hunc ad omnia scelera perpetranda iudices aptissimum. Cur ita? quippe ianua scelerum est omnium ebrietas. Quo pacto? nam ubi computationibus deditum pecunia defecerit, committere furta non verebitur, ut Baccho militet eleganter, potu deinde oppletus, quid nisi libidines cogitat? ratione destitutus, quid nisi belluam superbam, efferam, caecam praesentat? superbia elatus, nonne etiam superos contemnit? furore stimulatus, nonne etiam insontes maectat? Lumine mentis orbatus, nonne festa violat, maiores aspernatur, iurat falsa milles, testatur iniqua, totum alienum maculat et cum sibi, tum omnibus non scandalo solum, at etiam nocumēto est? Quid plura? finge, quæ potes, vitia, imo quæ non potes fingere, ebrius perpetrabis. Tam faecunda scelerum genitrix est ebrietas.

53. Relectio, gr. Apodioxis, est, cum quid ex oratione tamquam indignum removetur, vel tamquam superfluum reicitur, vel tamquam impertinens ad orationem alibi aut aliis dicendum relinquitur. Cic. Pro Quinc. 70: Nolo eam rem commemorando renovare, cuius omnino rei memoriam omnem tolli funditus ac deleri arbitror oportere. Virg.: Verum hæc ipse equidem spatii exclusus iniquis praetereo atque aliis post me commemoranda relinquo.

54. Reticentia est, cum aliquid dicere volens aut incipiens Orator aliquam ob causam subtacet. Cic.: De pace: Ac metuo, ne male, se nolo initio orationis meae male quocquam ominari.

55. Sententia, gr. Gnome, est brevis exornatio, quæ aliquid ad humanæ vitæ utilitatem spectans enūciat. Cic. Pro Mil.: Populi grati est praemiis afficere bene meritos de Repub. cives; Viri fortis, ne suppliciis quidem moveri, ut fortiter fecisse paeniteat. Hoc schema aperte vel occulte in oratione solet usurpari.

56. Sermocinatio iuxta Tullium est, cum alicui personæ sermo attribuitur et is exponitur cum ratione dignitatis. Cic., Pro S. R. Amer.: Exhaerere dare filium voluit. Quam ob causam? Nescio. Exhaeredavitne? Non. Quis prohibuit? Cogitabat. Cui dixit? Nemini. - Similis dialogismo.

57. Significatio, gr. Emphāsī, est, cum plus in suspitione relinquitur, quam positum est in oratione. Cic. Pro Quinctio: Quis tam perditus ac profusus nepos, non adesa iam, sed abundante etiam pecunia, sic dissolutus fuisset, ut fuit S. Naevius? cum hominem nomino, satis mihi videor dicere. - Per Naevium rapacissimum quemquam vult intelligi. Quinque modis hæc fit exornatio, per exsuperationem, ambiguum, consequentiam, abscissionem, similitudinem.

58. Similitudo, gr. Parabola, est oratio, traducens ad rem quampiam aliquid ex re dispari simile. Drexel, In Iosep.c.2. Inde Struthio camelus proditur, si soleam ferream possit conoquere; inde Christianus noscitur, si possit iniurias aequo animo tolerare. Vernulaeus de con.S.Pauli: Quemadmodum siderum in caelo numerum inire velle stultae est et vanae curiositatis, ita Pauli virtutes numerare curiosae nimium est et superfluae pietatis. Quatuor modis tractur similitudo: per contrarium ornandi gratia, per negationem probandi causa, per brevitatem apertius dicendi ergo, per collationem ut ante oculos ponatur.

59. Subiectio, gr. Antiphora, est, cum Orator, interrogans aliquem, non expectato responso ipse sibi respondet, vel se ipsum interrogans, a se ipso responsum accipit. Cic. Pro Ligar.7: Apud quem igitur haec dico? nempe apud eum, qui cum hoc sciret, tamen me, antequam vidit, Reip. reddidit. Philo, in Vita viri civilis. Adsunt opes? Impertire: multo pulchrior multoque pretiosior est pecunia in pauperum dextra, quam in arca. Pauca possides? cave inideas divitibus; pauperem invidum nemo miserabitur. Honoratus es? cave insolentiam. Humilis conditionis es? noli despondere animum. Succedunt tibi omnia ex sententia? mutationem time. Offendis saepius? humanum est: collige animum et iam cautior progredere.

60. Sustentatio, gr. Paradoxon, est schema, quo diu suspenditur animi auditorum atque aliquid deinde inexpectatum subicitur. Cic. Verr. V. 69-70. Amandat hominem; quo? Lilybeum fortasse? video; tamen homines maritimos non plane reformidat; minime, Iudices. Panormum igitur? audio; quamquam Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maxime, siminus supplicio affici at custodiri oportebat; ne Panormum quidem. Quo igitur? quo putatis? ad homines a piratarum metu et suspicione alienissimos & caet. n. 68.

61. Transitio, gr. Metorthosis, est, quando id, quod dictum est, breviter repetit Orator et paucis, quod adhuc dicendum sit, proponit. Cic. Pro Flacco; iam universa istorum cognita cupiditate, accedam ad singulas querelas criminationesque Graecorum. NOTA. Transitiones dici illas etiam connectiones, quibus una pars orationis cum altera copulatur. Sed hae in pluribus verbis consistunt. NOTA 2. Tam verborum, quam sententiarum figuras immo etiam tropes invicem sibi permisceri atque in una periodo plures inveniri. Sic apud Tullium pro Cluentio, Distributio cum Exclamatione et Ironia simul prostat. O innocentiam Oppianici singularem! quo in reo qui absolvit, ambitiosus; qui distulit, coactus; qui condemnavit, constans existimatur. Quin habes in hoc exemplo etiam repetitionem cum annomatione et hyperbato et similiter desinente. Diu boni! quam preclara periodus, in qua septem ornamenta relucescunt.

C A P U T X.

De Amplificatione.

AMPLIFICATIO est modus copiosus dicendi propter animum auditoris ad misericordiam vel iracundiam petrahendum, quod fit tripliciter: verbis, rebus et ornamentis.

2. Verbis amplificatur oratio multipliciter, quod cum Nicolaus Verepaeus in tractatu suo de verborum copia edito apprime doceat, ne actum agam, paucissimos hic eosque elegantiores modos adduco, posito uno exemplo, ex quo plura ingeniosus Tyro facile potest elaborare.

3. Sit, igitur, simplex et brevis locutio: Hic vir est doctus. Hanc exorno simul et amplifico his modis. 1. Addito adverbio sic: Hic vir est solide doctus. 2. Per comparativum sic: Hoc viro nemo doctior est. 3. Per superlativum: Hic vir omnium, ante omnes, ex omnibus, inter omnes doctissimus est. 4. Addito verbo: Hic vir plurimos doctrina superat. 5. Per contrarium. Hic vir nulli doctrina cedit. 6. Per comparata: Hic vir doctrina secundus est nemini. 7. Appositis quibusdam particulis, ut: Nemo tam doctus, quam hic vir. Item: Quis perinde doctus, atque hic vir? Item: Haud est aliquis aequè doctus atque vir iste. Item: Vir adeo doctus, ut nemo sit illi conferendus. Idem: Nemo ita doctus, ut hic vir. 8. Per definitionem: Hic vir tanta doctrina praeditus est, ut thesaurus omnium scientiarum locupletissimus dici possit. 9. Per periphrasim: Tanta est huius viri doctrina, ut in eruditorum consilio primas primusque princeps habeatur.

10. Per negationem: Nequaquam de perfectissima huius viri doctrina cuiquam aliqua dubitatio potest exoriri. 11. Per antonomasiam: Huius viri si doctrinam consideraveris et omnium artium scientiarumque peritiam, Maronem dices in Poesi, Tullium in Eloquentia, in Logica Aristotelem et Ethica, in tota philosophia Platonem, vel ullum magnum Albertum, porro in Theologia Augustinum vel Thomam illum Aquinatem appellabis. 12. Per adverbia: tantum quantum et similia: Ut tantum vir iste scientiis est excultus, quantum et ad gloriam Numinis nominisque ipsius et ad Reip. utilitatem et ad propriam proximique salutem exigi potest aut desiderari. Reliquos modos dictionis amplificandae usus te, lectio et assidua exercitatio docebit.

4. Rebus, hoc est locis argumentorum, amplificatur oratio his penitus. 1. Definitionibus conglobatis. Cic. In L. Pis. n. 11. Arma in templo Castoris (o proditor templorum omnium!) vidente te, constituebantur ab eo latrone, cui templum illud fuit, te consule, arx civium perditorum, receptaculum veterum Catilinae militum, castellum forensis latrocinii, bustum legum omnium ac religionum. 2. Causis. Cic. Pro S. R. Amer. n. 145 et sequ. Si spoliatorum causa vis hominem occidere, spoliasti. Quid quaeris amplius? Si inimicitiarum, quae sunt tibi inimicitiae cum eo, cuius antea praedia possedisti, quam ipsum cognovisti? si metus, ab eone aliquid metuis, quem vides ipsum ab se tam atrocem iniuriam propulsare non posse? Sin, quod bona, quae Roscii fuerunt, tua facta sunt, idcirco hunc illius filium studes perdere? nonne ostendis, id te vereri, quod praeter caeteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur? facis iniuriam (L. Sullae), Chrysogone, si maiorem spem emptionis tuae in huius exitio ponis, quam in iis rebus, quas Lucius Sulla gessit: Quod si tibi causa nulla est, cur hunc miserum tanta calamitate affici velis, si tibi omnia sua, praeter animam, tradidit, nec sibi quidquam paternum, ne monumenti quidem causa clam reservavit, nec Deos immortales, quae ista tanta crudelitas est?... quis pirata tam barbarus, ut cum integram praedam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? Scis hunc nihil habere, nihil audere, nihil posse, nihil unquam contra rem tuam cogitasse; et tamen oppugnans eum, quem neque metuere potes, neque odisse debes, nec quidquam iam habere reliqui vides, quod ei detrahere possis, nisi hoc indignum putas, quod vestitum sedere in iudicio vides, quem tu e patrimonio, tamquam e naufragio nudum expulisti. 3. Antonius Moretus hinc dignitatem studii Theologici producit: O vitae Theologia Dux! o virtutum parens! vitiorum expultrix, animorum liberatrix! quid sine te non modo nos, sed omnino vita hominum esse potuisset? Tu depravatas impurissimis opinionibus hominum mentes velut de integro interpolasti; tu distractos dissipatosque variis idolorum cultibus homines in unius verae Religionis societatem convocasti; tu Magistra morum ac disciplinae fuisti,

ac veluti Sol exoriens nubium caliginem dissipat, veluti sidus, quod Castoris et Pollucis dicitur exortu suo maris rabiem placat, tempestatesque depellit, ita tu divinitus exorta et tenebras ignorantiae dissipasti, et illo tuo salutari fulgore procellas veterum superstitionum dispulisti. Tu nobis velut Helice aut Cynosura quaequam es; ad quam universus navigationis, id est, vitae nostrae cursus dirigatur. Tu ignis ille caelestis es, quem verus ille Prometheus, id est Christus, in terras attulit, sine quo vita constare non potest. Tu et vitae tranquillitatis largitas nobis es et mortis terrorem sustulisti. Beatos igitur, qui ad te, tamquam ad portum, confugiunt; beatos, qui se tibi a teneris unguiculis penitus totosque tradunt. Miseros contra, qui ut proci Homerici, ancillarum amoribus irretiti, te, quae omnium scientiarum Regina es, negligunt; tu enim earum rerum scientiam profiteris, quarum plena cognitio aeternam beatitatem, ignoratio aeternum exilium hominibus pollicetur.

4. Adiunctis, ex quibus epigramma confectum, pium magis, quam acutum subicio.

Mortuus est; quisnam? Deus ac Homo Christus; ubinam?
In Cruce, qua Solymae Golgotha spectat opes.
Quis necis Auctor erat? Iudas, plebs, Praetor et Annas,
Mortuus est autem pro Populi scelere.
Tempore quonam obiit tristissima fata? diei
Quae post octavam volvitur, hora fuit.
Quomodo mortuus est? postquam nos et sua Patri
Tradidit, inflexo vertice mortuus est.

Vide Cic.act.2. in Verr.lib.2n 141 & 144,
circa finem. 5. Partium enumeratione. Martialis amplificavit hoc epigramma
in Ebrum Appium.

In niveis, Appi, iam regnat bruma capillis,
Inque oculis semper vino flammantibus aestas
Bacifer autumnus pingit nasumque genasque,
Cumque bibit, florum dulce illi ad tempora ver est.
Sic potans, totum in vultu gerit Appius Annum.

6. Antecedentia dilatandae orationi serviunt congesta. En Latini Chrysostomi Ieremiae Drexelii exemplum. Divus Bernardus, elegantis ingenii et admirandae doctrinae antistes, multa illustra, quaedam etiam divina scripsit. Nullo, aiunt, Magistro usum; sola precandi et lectitandi assiduitate ad hoc eruditionis culmen ascendit. Ut legeret, intelligendi fecit cupiditas; ut intelligeret, oratio impetravit; ut vero impetraret, quid nisi vitae sanctitas promeruit? Sic cupiat, sic oret, sic et vivat, qui sic proficere desiderat. Lege subscriptum Epigramma, in quo mors ab Antec. definitur.

Copia morborum grassetur corpore toto,
Opprimat ingenti pondere phlegma iecur.
De summo gemitus ascendant pectore, vocem
Fatalis presso gutture claudat agon.
Effugiat tepidus sanguis plantasque manusque,
Ex vultu sudor, fetor ab ore fluat.
Frigescat vertex, varientur lumina frontis:
Illud erit letum, mors erit illa tibi.

7. Spectant etiam ad amplificandum Consequentia, ut patet Cic. exemplo Pro Quin. n.49 et 50. Cuius bona venierunt, cuius non modo amplissimae fortunae, sed etiam victus, vestitusque necessarius sub praecone cum dedecore subiectus est, is non modo ex numero vivorum exturbatur, sed si fieri potest infra etiam mortuos amandatur. Etenim mors honesta saepe vitam quoque turpem

exornat; vita turpis ne morti quidem honestae locum relinquit. Ergo, hercule, cuius bona ex edicto possidentur, de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certe, tacite, obscureque conceditur; cui Magistri fiunt, domini constituuntur, qui qua lege et qua conditione pereat, pronuncient, de quo homine praeconis vox praedicat et pretium conficit, huic acerbissimum vivo videntique funus ducitur. Si funus id habendum sit, quo non amici conveniunt ad exsequias cohonestandas, sed bonorum emptores, ut carnifices ad reliquias vitae lacelandas et distrahendas. Eruditus Pater, Michael Radau, in Oratore etc. hanc brevem propositionem: "Neglectam libertatem multa damna sequuntur", sic a consequentibus amplificat. Quid libertatem negligi patiemini? negligitur hoc pacto simul fortunarum cura; negligitur bonorum possessio; negligitur fidelitatis tutela; negligitur civium defensio, contra furiosorum audaciam obiecta propugnatio; negligitur vita ac salus communis et latissime panditur aditus ad iniuriam. Iam violentiae sine vitio, malitiae sine iudicio, scelera sine accusatione, nece sine poena exercentur.

Probatur etiam ex consequentibus B.V. Maria sine macula concepta hoc epigrammate:

Quis Te primaevo tactam, Virgo asserat ausu?
Cui tetigit mentem nulla cupido mali?
Quae stygium gaudes pede contrivissē colubrum,
Amisit vires qua pariente dolor,
Cuius, non mortis vi, sed vi tractus amoris,
Spiritus ex famula sponte migravit humo,
Cuius perpetuo membra incorrupta manebunt,
Iamque dato lucent glorificata Polo,
Quae nulla primi poena ausus tacta fuisti,
Hoc Te quis tactam, Virgo, fuisse putet?

8. Exemplis dilatat orationem facundissimus Vernulaeus oration. l. Rhet. Porcen. Inquiramus tandem, an in egestate delitescunt et obscuritate ii, qui litterarum cognitionem habent, nisi tamen id inquirere sit in meridie clarissimam solis lucem desiderare. Agite, loquitur haec famā nobis et, quos immortalitati consecravit obscurioris fortunae filios, sed eruditionis alumnos, representat. Quis Socratis, omnium hominum et Apollinis iudicio sapientissimi, vel famam unquam vel gloriam superabit? Patre natus marmorio fuit. Quae non aetas Euripidis ingenium admirabitur? Huius mater oleam venditabat. Numquid Demosthenis gloriae quoddam domicilium fuit? Sed filius quoque fuit cultorum venditoris. Praedicās Aeschinem? Tympanistae filius fuit. Lauda Epiotetum? Servum quondam. Miraris Demadem; utique piscatorē. Etiam Lucanum? et hunc quoque lapcidam. Exhaustire coner Oceanum, si exemplorum quaeram in antiquitate finem; et haec nostra quoque tempora materiam suppeditant orationi, si vel atlas Principum, vel curias Rerumpub. dictionis perlustrare cursu velim. Sed illud tantum hoc in campo, festinantes, intueamur et retineamus. Non in origine praeclara, non in famosis maiorum imaginibus, non in multitudine titulorum, sed in virtute, in scientia, in anima, praecellentibus hisce dotibus ornata, consistere nobilitatem. Vide Ciceronem, Pro lege Manilia, num. 46: Age vero illas res etc. 9. Contrariis amplificat Cicero, Pro Milone 103, ubi hunc in urbe retinendum esse rogat his verbis: Nolite, obsecro vos, acerbiores mihi pati reditum esse, quam fuerit ille ipse discessus. Nam, qui possum putare me restitutum esse, si distrahar ab his, per quos resti-

tutus sum? Utinam Dii immortales fecissent, (pace tua, patria, dixerim; metuo enim, ne scelerate dicam in te, quod pro Milone dicam pie) ut P. Clodius non modo viveret, sed etiam Praetor, Consul, Dictator esset potius, quam hoc spectaculum viderem. O Dii immortales! fortem et a vobis, iudices conservandum virum! "Minime minime" inquit. "Immo vero poetas ille debitas luerit; nos subeamus, si ita necesse est, non debitas". Hicne vir patriae natus usquam nisi in patria morietur aut, si forte, pro patria? huius vos animi monumenta retinebitis, corporis in Italia nullum sepulchrum esse patiemini? Hunc sua quisquam sententia ex hac urbe expellet, quem omnes urbes expulsam a vobis ad se vocabunt? O terram illam beatam, quae hunc virum exceperit, hanc ingratham, si elegerit, miseram, si amiserit! 10. Repugnantia quoque sunt ad amplificandum optissima. Patet hoc Cic. exemplo, Pro Q. R. Comoed. nr. 19. Quid? tu, Saturi, qui contra hunc venis, existimas aliter? nonne quoties in causa in huius nomen incidisti, toties hunc et virum bonum esse dixisti et honoris causa appellasti? quod nemo nisi aut honestissimo, aut amioissimo facere consuevit. Qua in re mihi ridicule es visus esse inconstans, qui eundem et laederes, et lauderes, et virum optimum et hominem improbissimum esse diceres. Eundem tu et honoris causa appellabas et virum

primarium esse dicebas et socium fraudasse arguebas. 11. Similia serviunt amplificationi, si plura conglobentur. Habes exemplum apud Draxelium, Ieiun. l. 2 c. 2. & 1. Videte mihi hominem, qui vult esse coquus, sed ad ignem flare nequamquam sustinet, videte mihi molitorem, qui farinae pulveribus inspergi refugit et qualis ille coriarius est, qui in madido laborare recusat? qualis nauta, qui aquas et ventos exsecratur? qualis agricola, qui aestum et gelunon fert? qualis mercator, qui nihil nisi praesente vendit moneta? quis ille plastes et fictor ceriae, qui ut vicinas ferat prunas induci non potest. Eodem prorsus modo quis ieiunator ille, qui sentire inedia detrectat? 12. Dissimilia huc appone. Vernulaeus in Scoti Pan. hanc amplificationem suppeditat. Plurimi sunt, qui cum scribunt, non calamum, sed stilum sibi stringere videntur; clamant, pugnam cient, instant et, quasi prostraverint hostem, triumphum agunt. Alii sunt, qui cum rem aliquam controversam rationibus suis tamquam machinis quibusdam admotis, ut sibi videntur, ita pervaserunt, ut dissolvere et veritatem attigisse videri possint, caeteros omnes, tamquam caecos, et noctuas quasdam despiciunt. Nonita sane divinus hic Scotus, qui etsi subtilissimi sui ingenii ala per ardua quaeque volitaret, submissionis tamen suae nunquam immemor non plus quam oportebat sapit. - Nota plures adhuc locos extrinsecos et intrinsecos ad amplificandum conducere, quos ego hic gratia brevitatis omitto; verum oratorum diligentissima lectio tibi poterit eos demonstrare.

5. Ornamentis, hoc est figuris quibusdam, non solum decoratur, sed etiam profunditur orationis campus. Ex quibus est 1. Enumeratio, per quam Salvianus, lib. 1 de Providentia, beneficia Hebraeis a Deo praestita enumerans, copiosissime dilatat sermonem. Ingressitur eremum victrix sine bello gens Hebraeorum; agit iter sine itinere, viatrix sine via, praevisio Deo, divino commilitio honorabilis, ductu caelesti potens; sequens mobilem columnam nubilam die, igneam nocte, congruas colorum diversitates pro temporum diversitate sumentem, scilicet ut et diei lucem lutea obscuritate distingueret, et caliginem noctis flammeo splendore claritatis irradiaret. Adde huc fontes repente natos; adde medicatas aquas, vel datas, vel immutatas, speciem servantes, naturam relinquentes; adde aperta

erumpentibus rivis montium capita; adde scaturientia novis pulverulenta arva torrentibus. Adde illatos itinerantium castris alitum greges a Deo pietate indulgentissima, non usibus tantum hominum, sed etiam illecebris servientes; datum per quadraginta annos astris quotidie famulantibus cibum; porantes iugiter escis dulcibus polos, non ad victum tantum, sed etiam ad delicias profluentes. Adde hominum in ullis membrorum suorum partibus accessus et decessus humanorum corporum nescientes, ungues non auctos, dentes non imminutos, capillos semper aequales, non attritos pedes, non scissas vestes, calceamenta non rupta, redundantem hominum honorem usque ad induviarum vilium dignitatem. Adde huc erudiendae gentis officio descendente ad terram Deum, accommodantem se terrenis usibus Dei filium, innumerae multitudinis plebem in consortium divinae familiaritatis admissam, sacrae amicitiae pollentem. Adde huc tonitrua, adde fulgura, terribiles bucinarum caelestium sonos; tremendum undique tonantis aeris fragorem, polos sacris clangoribus mugientes; ignes, caligines, nebulas Deo plenas; loquentem cum hominibus Dominum, legem divino ore resonantem, scriptas digito Dei litteras, rupices paginas, saxeum volumen, discentem populum et docentem Deum; ac mixtis paene hominibus atque Angelis unam caeli ac terrae Scholam.

2. Expolitio, qua Drexellius infelicitatem peccatricis animae explanat in Iosepho c.12. Actio nulla, quantumvis ardua et santa, dum lethalis naevus haeret animo, quidquam promereri potest. Peregrineris licet Compostellam, usque ad D. Jacobi aedem, inedia fatiges corpus, in stipem universas eroges facultates, dum Dei hostis es, nihil promereris. Mortalis noxa inficit et perdit omnia; thesauros actionum nostrarum eripit universos. - Idem frugalitatem commendans pulcherrime se explicat per expolitio-nem Ieiunii: lib.I.c.5. & 3. Plurimos ego ipse novi, qui ad octogesimum, nonagesimum et plures annos produxere vitam, de quibus omnibus dicitur illud: si eis longior fuisset mensa, brevior fuisset vita. Longiorem appello mensam, quae ad libitum appetentiae cibum potumque ingerit; quae invitatiunculis ad bibendum crebriores habet; ubi estur et bibitur, quantum satis est. Haec mensam quidem longam, sed brevem faciant vitam. Vide Cic. in Verr.n.39.

3. Congeries, (gr. synathroismos), qua crimina, vel laudes, aut id genus alia coacervantur. Cicero, In Verr. lib. 5, 136: Tu in provincia populi Romani (praetor), cum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis ex foedere quam deberent navem per triennium remisisti; tibi apud eosdem privata navis oneraria maxima ex publico est aedificata; tu a civitatibus pecunias classis nomine coegisti; tu pretio remiges dimisisti; tu navis cum esset ab quaestore et ab legato capta praedonum, archipiratum ab oculis omnium removisti; tu, qui cives Romani esse dicerentur, qui a multis cognoscerentur, securi ferire potuisti; tu tuam domum piratas abducere, tu in iudicium archipiratum domo producere ausus es; (137) tu in provincia tam splendida, tu apud socios fidelissimos, cives Romanos honestissimos, in metu periculoque provinciae dies continuos complures in litore conviviisque iacuisti; te per eos dies nemo tuae domi convenire, nemo in foro videre potuit; tu sociorum atque amicorum ect. (usque ad "quaestui fuit").

4. Interpretatio, Cicero, Philip. II, 68: O audaciam immanem! tu etiam ingredi illam domum ausus es? tu illud sanctissimum limen intrare? tu illarum aedium dispenatibus os impurissimum ostendere?

5. Incrementum, Drex.: Malum est videre feminam, peius alloqui, pessimum attingere. Cicero, Pro Quinct. 95: Miserum est deturbari fortunis omnibus, miserius iniuria; acerbum est ab aliquo circumveniri, acerbius a propinquo; calamitosum est bonis everti, calamitosius cum dedecore; funestum est a forti atque honesto viro iugulari, funestius ab eo, cuius vox praeconio quaestu prostitit; indignum est a pari vicini aut superiore, indignius ab inferiore atque humiliore; luctuosum est tradi alteri cum bonis, luctuosius inimico; horribile est causam capitis dicere, horribilius priore loco dicere. (96) Omnia circumspexit Quinctius, omnia periolitatus est.

6. Contrapositum, sive, ut Graeci vocant, Antitheton. Cic., Pro Milone, 10: Est enim haec, iudices, non scripta, sed nata lex, quam non didicimus, accepimus, legimus, verum ex natura ipsa arripimus, hausimus, expressimus, ad quam non docti sed facti, non instituti, sed imbuti sumus, ut, si vita nostra in aliquas insidias, si in vim et in tela aut latronum aut inimicorum incidisset, omnis honesta ratio esset expediendae salutis. - Idem (Pro lege Manlia) De Imper. Pomp. 38: Neque enim potest exercitum is continere imperator, qui se ipse non continet, neque severus esse in iudicando, qui alios in se severos esse iudices non vult. - Drexel: Successit silentio loquacitas, labori otiositas, vigiliis scandantia, ieiuniis temulentia, Virtuti vitium.

7. Descriptio. Utitur hac in Declaratione contra Catilinam Porcius circa finem hoc modo: Proponite vobis ante oculos et meditatione revolvite diem illum nefarium, quo salus omnium civium, quo facultates nostrae, quo ipsa Respublica peritura fuerat; quando scilicet aspeximus bestias istas, emissas carceribus per urbem omnem, per domos nostras, furialiter exsultantes ipsumque imprimis miserandi facinoris ducem ac principem, Catilinam, confirmatum hoc iudicio, spe plenum, laetitia gestientem, nunc hos ad caedem nostram, nunc illos ad rapinam atque inflammationem aedium devocantem; coniuges e complexibus nostris ad libidinem victorum raptas fuissent; liberi de gremiis parentum ad stupra extorti; corpora caesa passim iacuissent, omnia denique gemitu fletuque redundassent. Haec fuisset imago miserrimae urbis.

Pereleganter etiam Salvianus copiosissimus Davidem paenitentem depingit I.2 De Provid. Agnoscit scilicet reus culpam, humiliatur, compungitur, confitetur, luget, paenitet; gemmas Regias abdicat, crepantia textili auro indumenta deponit, purpura exuitur, diademate exhonoratur, cultu et corde mutatur, totum Regem cum ornatibus suis abiicit, providum paenitentem cum patrocinio ambitiosi squaloris assumit, ieiunio erigitur, ariditate siccatur, fletu effunditur, solitudine carceratur.

Claudo Amplificationem orationis clausula vitae Praecursoris Aeterni Regis, quam Doctor Mediolanensis I.3 de Virginitate sic describit: Rapitur ad poenam Propheta conviviali tempore, conviviali praecepto, quo non cuperet vel absolvi; perimitur gladio, caput eius affertur in disco; hoc crudelitati ferculum debebat, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Intuere, Rex acerbissime, tuo spectacula digna convivio; porrige dexteram, ne quid saevitiae tuae desit, ut inter digitos tuos rivus defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditae saevitiae sitis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis

profluentem. Cerne oculos, in ipsa morte sceleris tui testes, aversantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate, quam horrore luxuriae. Os aureum illud exsangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit et adhuc times. Lingua tamen, quae solet etiam post mortem officium servare viventis, palpitante licet motu, damnabat incestum. Portatur hoc caput ad Herodiadem; Laetatur, exsultat, quasi crimen evaserit, quia Iudicem trucidavit. Quid dicitis vos, Sanctae Feminae! Videtis, quid docere, quid etiam dedocere Filias debeatis.

PRO pleniori doctrina nota. Quod omnes figurae vehementiores ad Amplificationem valent, praecipue tamen interrogatio, repetitio, conversio, subiectio, complexio, apostrophe, exclamatio, sustentatio, conformatio, eidolopoeia, ethopeia, communicatio, distributio, notatio, effictio, ratiocinatio. Ex adiunctis autem non omnia, nec ordine suo ponenda, sed aliquot interdum cum iudicio prudentiaque seligenda. Caeterum danda esset hic de Affectibus movendis doctrina, sed brevitati studens hoc solum brevibus innuo. Nunquam te citius commoturum animos audientium, quam si contrarium huic rei, quam expugnare vis, opponas, e.g.: Ambitiosum vis ab ambitione revocare, concedere prius illi, rem esse praeclarissimam, laude, caeloque dignam, honores continere, similiaque fortunae fingenda; tum deinde turpitudinem depinges ambitionis et sic facile movebis ambitiosum. Sic ab alio vitio aversurus quempiam, laudabis oppositae virtutis pulchritudinem, splendorem ostentabis praemiumque; subiecta deinde vitii foeditate, certam huius in animo detestationem excitabis. In ceteris arte pari procedes, memor illius moniti: Gaudia pelle; pelle timorem; spemque fugate. Nec dolor adsit. De Acuinibus quoque nihil hic dico; plus mihi sapiunt, qui docent, movent, suadent, quam qui delectare consueverunt.

C A P U T XI.

De Memoria.

1. MEMORIA; quarta Rhetorices pars, est firma ac indelebilis totius orationis in animo impressio.

2. Dividitur in Naturalem et Artificialem, Capacem et Tenacem; quaelibet tamen harum exercitatione perficitur et augetur

3. Adiumenta memoriae haec non sunt spernenda:

1. Loca, in quibus res, de qua sero gesta, menti infige, ut iter dicendum te in illis versari putes. Proderit quoque singulos aedis, ubi peroras, angulos singulis partibus orationis assignare, ut ex hoc exordium, ex illo narrationem, ex alio confirmationem et rursus ex alio perorationem, quasi ibidem positam, assumes.

2. Imagines dicendarum rerum menti imprime, e.g.: Si de caelesti gloria dicendum esset, statueres tibi in mente unam Civitatem, iuxta Apocalipticam Prophetiam, duodecim portis, muro elegantissimo, plateis auro perlucidis ornatam; incolas Divos, Cives Angelos, Reginam Virginem Deiparam, Regem trinum et unum Deum. Sic facili discursu omnia tibi ex mente promanarent.

3. Orationem, si fuerit longior, per periodos atque partes disce; sin carmen recitaturus es, per decades versuum erit memoriae tradendum. In quo autem discendo saepius haesitabis, illud sigillatim sepius repete, donec optime memoria comprehendatur.

4. In loco quieto et ab omnibus arbitris remoto quidquid dicendum erit voce submissa, non clamosa oportebit te discere. Melius feceris, si tacita mente rem volveris; ita enim sine lucta et fatigatione memoriam facillime subibit.

5. Ad quietem te disponens et in aurora surgens, multa addiscas. Igitur cubitum iturus et lecto surgens vel semel saltem discenda praelege, tum deinde imaginario percurrere discursu. Atque ut continuum memoriae habeas exercitium, proderit tibi decumbenti pii alicuius libelli lectio, in qua obdormias, verum in lumine adhibendo cautum te esse volo.

6. Ieiuniis bene macerato ventriculo, memoriae exercitium adhibe; si enim is fuerit oppletus cibus, humores ex eo, caput ascendentes, organum seu vim memorativam aggravabunt teque ad discendum reddent inhabilem. Ultimum. Non ex prolixioribus initio memoria fatiganda exercitiis, sed per gradationem quandam periodorum et foliorum pedetentim exercenda.

C A P U T XII.

De Actione.

1. ACTIO, quam alii Pronuntiationem vocant, ultima Rhetoricae pars, est vocis et vultus et gestus moderatio cum venustate. Quod ad vocem attinet, haec naturaliter formanda est; procul esto crassa, fiota, puerilis, muliebris. Quidam sic formant vocem, ut naso magis loqui videantur, quam lingua; alii sic, ut cantent potius, non perorent; nonnulli deinde contra naturam penitus effutiunt verba, decorum putantes, si naturalem artificiali voce supprimant. Quasi vero non in observanda verborum quantitate vocis artificium magis consistat, quam in illo fistulis proprio sono. Quid plura te hic moneam? illud unicum: Musicus ne sis in cathedra, sed orator. Vultus ad gravitatem componatur, quem tristis dictio tristem, severa severum, laetum laeta, zelosa ardentem, indignans indignantem reposcit et habeat. Nec reprehenduntur in oratore lacrimae, si has pie volens in aliis excitare, prius ipse fundat, quamquam quid illo praestantius oratore, qui sine propriis lacrimis et inorepans non plorans, lacrimas ex oculis audientium producit, superioribus verbis, quasi Moses virga, cordium petras conterens? Producit quoque eas quandoque suavis et benigna dictio; uti pluere videmus frequenter, etsi non tonuerit.

2. Gestus in totius corporis et partium aliquorum harmonica moderatione situs est. Igitur dabis operam, ne totum corpus instar psallentis Hebraei agites; ne nimium manus extendas, vel ad pectus nimium reducas; ne brachia iactes; ne caput huc et illuc inflectas; ne super cathedra (contionatoris alia lex est), quasi fessus, decumbas; ne crebro exscrees, tussias et spuas, nasum emungas, sudorem abstergeas, nisi prorsus urgente necessitate. Maxime tamen cavebis, ne dum velis oratorem agere, his trionem representes. Namque sunt neque hi perpauca Ecclesiastae, qui, cum Tullium debeant, Roscium imitantur, quod vitium turpissimum velle placere gestibus, cum tibi res aut verba desunt.

3. Ante actionem imprimis orator, qualiscunque fuerit, se Deo, Sapientiae et Eloquentiae Fonti, commendat; intentionem rectam faciat, ne gloriolae captandae gratia dicat; deinde, recollecto animo, exedram conscendat aperto capite, aut secus, iuxta loci et temporis opportunitatem.

Si in ecclesiasticis rostris perorat, primam altari, vel Sanctissimo ibi reposito, alteram, profundam minus, auditoribus reverentiam faciat, se modeste inclinans. Postmodum signo Crucis (in politicis actionibus haec pietas dissimulanda) se muniat et aperto, si fas, capite nonnihil ad recolligendum se auditores pro meliori informatione et audacia expendat.

4. In ipsa actione servandum est, ut demissiore voce incipiat, quae, paulatim crescens, ad eam altitudinem elevabitur, quae spatium indigeat et quam pectoris capacitas ad finem queat sumministrare. Quidam, ubi altissime sunt orsi, in medio cursu deficiunt. Caveat, ne uno tono peroret, quod lectoris, et quidem imperfecti, est; sed periodos inchoabit demisse et claudet; in reliquis rei, quam explicat oratione, rationem habebit, cui tonum vocis accommodabit. Nunquam sinet utramque manum (nisi res aliter postulaverit) quiescere, sed aliqua earum, saepius tamen dextera, gestus formabit, et in magnis universalibusque rebus utraque. Initio tamen exordii, narrationis, confirmationis et aliarum orationis partium, post unum alterumve membrum, se gestibus applicabit. Sesternionem satius in sinu, quam expositum, tenebit clausum; quod si memoria vacillaverit, ne ad eum recurrere vereatur; quem, perlecto quo habuit opus, iterum recondet, si volet. Vultum, gestum, vocem et quemvis corporis motum, uti iam diximus, dictioni accommodabit. Curandum enim est semper, ut actio respondeat orationi et in ea contentis ita, ut altiora, gravioraque vehementius exprimantur. Expediit autem, ut oculos neque comprimat, neque nimis eleve; at moderate visus comitaturus est facientem gestus manum. Finita declamatione, tritum illud: dixi; quodsi carmen recitaverit, vulgare illud: cecini pronuntiabit et, facta reverentia, discedet.

5. Post actionem primo Deo Optimo Maximoque gratias maximas persolvat; postea se, quonam modo peroravit, recolligat; in quibus erravit, defecit aut excessit, advertat; errores tamen sibi, DEO virtutes actionis adscribat. Norit demum iudicia aliorum de se explorare, ut si forte melius ipsi dicentis errata notaverint, haec possit rescire ac emendare. Invidiorum nihilominus in hac parte et zoilorum et rudium iudicia sunt penitus contemnenda.

A P P E N D I X.

In qua Oratoriae inventionis, Dispositionis,
Elocutionis, numeris artificium denotantibus,
apprime serviens Tyronibus Eloquentiae
proponitur

P R A X I S I.

QUAESTIO. An propter religiosam vocationem sit studiorum continuatio relinquenda? Status Coniecturalis: quia ex coniecturis vocationis est colligendum, quid hac in re facto sit opus. Causa, Crinomenon, Propositio: Relinquendam esse continuationem studiorum ob religiosam vocationem. Character dicendi mixtus. Spectat autem haec oratio ad Genus deliberativum: siquidem illa relinquenda esse scientiarum continuatio ob divinam vocationem suadetur.

I N V E N T I O & D I S P O S I T I O

EXORDIUM ex visceribus causae a circumstantia temporis desumptum per collectionem, tertiam exordiendi formam, tractabitur hoc modo.
P r o p o s i t i o C o l l e c t i o n i s: Valedicturus vobis, Adolentes, materiam dicendi de relinquenda studiorum continuatione propter religiosam vocationem assumo. n.1. R a t i o. Nam id aetas et Spiritus Sancti instinctus urgent. n.2. R a t i o n i s confirmatio. Aetatem enim sufficientem ad deliberandum de statu habetis, ad religiosum vero statum divinis inspirationibus etc. stimulamini. n.3. E x p o l i t i o. Ut navis, tempestatem fugiens, portum appetit, sic vos, fluctus mundi volentes evitare, ad stationem religiosae vitae debetis contendere. n.4. C o m p l e x i o per contractionem superius dictorum. Ergo mundi periculis deterriti etc. ad religiosae vitae litus navigate. n.5. P r o p o s i t i o o r a t i o n i s. Praeibo, persuadens vobis, relinquarum scientiarum continuationem ob religiosam vocationem esse relinquendam. n.6. A t t e n t i o. Benevola attentione me sequimini.

N.7. C o n f i r m a t i o habet tria Argumenta: 1. Quia, saecularem vanam scientiam propter Deum relinquentes, stabiliorem reperietis. 2. Quia etiam saecularis doctrinae abundantia dabitur vobis, iam religiosis, cum sit scientia Dei donum. 3. Meliorem esse aeternam vitam temporali scientiae, ac proinde illius acquirendae gratia hanc deserendam.

A R G U M E N T U M I. Per quinquepartitam Ratiocinationem disponitur sic. M a i o r. Qui saecularem vanam scientiam propter Deum relinquunt, stabiliorem et perfectiorem assequuntur. n.8. P r o b a t i o m a i o r i s. Cognoscunt enim seipsos, quod est subtilissimae Philosophiae genus, ut ille ait. H a e c e s t a l t i s s i m a etc. n.9. M i n o r. Atqui vos, A., saecularem vanam scientiam. n.10. P r o b a t i o m i n o r i s per enumerationem scientiarum. Non enim vobis ex templo ad Philosophiae etc. etc. culmen aditus patebit, utpote Rhetoricam terrestrem pro caelesti ediscenda relinquentibus etc. n.11. C o n c l u s i o R a t i o c i n a t i o n i s. Ergo stabiliorem et perfectiorem

scientiam assequimini. n.12. A m p l i f i c a t i o c o n c l u -
s i o n i s ab exemplis per geminationem illam, illam inquam, scientiam, quam D. Augustinus, petens, dicebat: D o m i n e, n o v e r i m
me, n o v e r i m t e. quam D. Franciscus, possidens, aiebat: q u i s
t u, b o n e D e u s, e t q u i s e g o? ob quam tot Theologi
exedras, tot Principes mitras, tot Reges diademata, totque Imperatores
abiecerunt; et Caelestinus ille Pontifex Christiani orbis imperium de-
seruit etc. n.13. R e p e t i t i o c o n c l u s i o n i s per Ex-
clamationem. O vos beatos etc. si propter hanc dignissimam scientiam
vanas illas relinquetis! n.14. T r a n s i t i o ad secundum argumen-
tum per Correctionem. quamquam et illius politioris litteraturae maxi-
mam cognitionem habere solent ii, qui, calcatis mundi illecebris etc.,
Religiosi fiunt.

N.15. A R G U M E N T U M II disponitur hoc modo per quadri-
partitam Ratiocinationem, de qua supra c.3.n.3. M a i o r. Maxima co-
pia etiam politioris doctrinae datur iis, qui se Deo mancipant in Reli-
gioso statu, quae subiungitur transitionis quasi per expolitionem.

n.16. P r o b a t i o m a i o r i s a definitione. Cum enim scientia
sit Dei donum, nulli aequius a Deo conferri potest, quam religiosis, Dei
servis etc. Adiunguntur aliae probationes a simili, exemplis Magni Al-
berti, D. Thomae Aquinatis, D. Bonaventurae, subtilis Scoti, Ruperti Ab-
batis etc., qui cum reliquissent in saeculo scientiarum continuationem,
acceperunt infusam a Deo sapientiam in Religione. n.17.18.19.20. M i -
n o r. Sed si vos Religioni mancipaveritis etc. (n.21, conclusionis
mixtae), ne dubitate vobis a Deo scientias infundendas, vel opem ad
acquirendas praestandam.

A R G U M E N T U M III disponitur per Entymema tripartitum
(de quo c.3.n.4) A n t e c e d e n s. Melior est vita aeterna temporali
scientia. n.22. P r o b a t i o A n t e c e d e n t i s. Nam quod Chris-
tus de alia re alicubi dixit: "quod prodest homini" etc. satius usur-
pandum ac paucis mutatis dicendum; quid commodi affert omnium scien-
tiarum (enumerantur hae) peritia mortali homini, si immo tali vita
propter eam spoliatur? n.23. E x p o l i t u r idem Udonis exemplo,
similitudine et autoritate Apostoli. n.24.25.26. Expolitur denique
ratione. quod nimirum proprium scientiae sit, inflare. n.27. C o n -
s e q u e n s. Ergo, ut vitam aeternam consequamini, temporalem scien-
tiam relinquite per interrogationem. n.28:

PERORATIO, cuius P u n c t u m 1. Quamobrem contemnite,
Adolescentes, religiosae vocationis gratia studiorum vestrorum conti-
nationem. n.29. P u n c t u m 2. Subducite naves ex mundi oceano ad

religiosae vitae portum. n.30. P u n c t u m 3. Nulli vobis iam scopuli imminent, me securum iter demonstrante. n.31. P u n c t u m 4. Committite vela sanctissimi Flaminis aspirationibus et ad quietam stationem religiosae vitae contendite. n.32:

E L O C U T I O.

1 p.a. Deliberanti mihi, A d o l e s c e n t e s litterarum studiosissimi, quam dicendi materiam imminentibus feriis vacationem sumerem, cum sim vobis iam penitus valedicturus, non inconueniens mentem cogitatio subivit, ut reliquarum scientiarum continuationem diuinae vocationis causa prorsus esse relinquendam vobis persuaderem. 2b. Plurimos etenim vestrum et ab aetate urgeri et a caelesti spiritu stimulari intellego, ut quantocius, abiecta mundi huius fallacissimi salacissimique veteratoris omni vanitate, inaestimabilem Religiosi status gemmam apprehendatis. 3.pa. Nam quod ad aetatem attinet, haec omnium vestrum fere talis est, quae diutius vivendi rationis deliberationem videtur a vobis exposcere; quod vero ad diuinos instinctus spectat, horum plurimos tam ab Religiosorum Magistrorum exemplis monitisque vestras conscientias dirigentium, quam a diuini verbi lectione et auscultatione, tum denique ab ipso Numine per internas cordis, intellectus et voluntatis inflammationes, vobis esse submissos quis possit dubitare?

4 ts. Hinc veluti navis faustioribus Zephyris aspirantibus una ex parte, severissimis ex altera flantibus Euris portum velox petit, ne tempestatis obruta turbinibus submergatur, ita faciendum vobis existimo, ut benignissime vestra pectora afflantes gratiae Dei Favonios secuti, vos ad quietissimam religiosae vitae stationem, periculösissimas Oceani huius mundi procellas evitantes, absque mora subducatis. 5 pa. Quamobrem cum et hic orbis terrarum nunquam tempestatibus maximis careat, et fauentissima caelestis Flaminis aura vos ad ripam propellat, et ipsum tempus aetatis idem urgeat, date vela remosque capite, A d o l e s c e n t e s L i t t e r a r u m s t u d i o s i s s i m i, ac simul ex mundi verticibus impenetrabilique scientiarum euripo ad securissimum religiosae disciplinae litus vestras naves convertite. 6.t. Palinurum ego vobis agam peritissimum, quando brevis orationis exiguam scapham inscendens ab illa minaci Scylla vos avertam, quae sola gloriosae cursum navigationis impedire conatur; quando, inquam clarius, scrupulum relinquendorum studiorum vobis eximam, persuadens iustissimis rationibus, quamvis laudabilem reliquarum scientiarum, quas nondum hausistis, continuationem omnino divinae vocationis ergo relinquendam et posthabendam esse.

7 v. Qua precor benevola attentione sequimini. 8 r. Atque ut hinc mea sese effundat oratio, dico imprimis non ita illiberale caeleste Numen esse, ut eos qui ipsius obsequiorum causa sua commoda postponunt, aliquid habere damni patiatur, v. Novit ipsius munificentia vel minutissimas humanarum actionum intentiones abundantissime compensare. r. Ac proinde persuadere vobis potestis, A d o l e s c e n t e s l i t t e r a r u m s t u d i o s i s s i m i, illos etiam, qui in medio litterariis studiis decursu eius militiae accedunt, nunquam bono sapientiae spoliari, nunquam scientiae muneribus defraudari. Vanam enim huius caduci saeculi amore Dei scientiam relinquentes, stabiliorem, meliorem, perfectioremque ab eo recipiunt; cumque parum satis (si tamen parum dici potest sese Deo totum consecrare) dederint, immensa caeles-

tium donorum, ex aeternae sapientiae depromptorum thesauro, magnitudine cumulantur. 9 r. Nam sive eloquentiae, sive astrorum, sive numerorum, sive dimensionum seu denique totius philosophiae studium deserunt, praestantior rem philosophiam sui Deique cognitionem discunt. r. Itaque eum, quem se putarint amisisse, cum faenore inveniunt longe excellentioris scientiae Thesaurum. q. Quid enim sui cognitione dignius, utilius, optabiliusve potest esse? quae hanc artium et scientiarum queat superare? cui religiosissimus aequae ac sapientissimus Vir summum tribuens elogium et primas adscribens: "Haec est, inquit, altissima, utilissimaque scientia, sui ipsius cognitio et despectio."

10b. Ad vos iam veniam, Adolescentes litterarum studiosissimi, videoque vos, si divinae vocationi promptissime obsecundaveritis, non solum continuationem reliquorum studiorum, sed etiam omnem spem penitus variis pectora vestra scientiis excolendi proiecturos. 11. Id vero qua ratione? nam terrestris rhetoricae calcatis praeceptis caelestem discere cogemini respectu vocationis; contemptis gentilis philosophiae de rerum natura, de caelestium corporum motu, deque terrae situ documentis, Christianae Philosophiae doctrinam de rebus novissimis amplectemini; posthabita denique speculative illa decantatissima in Scholis Theologia, mysticam practicamque exercebitis. Quodsi in mundo facundissimi Tullii, grandiloqui Marones, argutissimi Aristoteles, subtilissimi Platones audiatis, extra mundum, intra religiosa claustra positi, taciturnitati potius, quam eloquentiae, extirpandis passionibus, non pangendis versibus, simplicitati candidae non versutae argutiae, humilitati non subtilitati operam daturi estis.

12. Sed num hac de causa scientia spoliabimini? minime. Viliorem perdetis, nobiliorem acquiretis, humanam relinquitis, haurietis divinam scientiam. 13. Illam, illam, inquam, scientiam, quam toto corde Sol sanctioris scientiae praesidium Augustinus exposcens: "Domine, clamabat, noverim me, noverim te"; illam scientiam, quam religiosorum, patriarcharum decus Asysinas Franciscus iam possidens, cum suo IESU collocutus: "Quis tu? bone IESU," aiebat "et quis ego? nonne tu es, qui es? et ego, qui nihil sum?" Illam denique scientiam, ad quam consequendam festinantes tot philosophi suas porticus reliquerunt, tot theologi suas exedras deseruerunt, tot principes suas mitras abiecerunt, tot reges sceptrum sua calcaverunt, tot imperatores diademata sua deposuerunt; quin et aliquis universi christiani orbis Princeps, maximus et sanctissimus Pontifex (Petrum Caelestinum intelligo) primo et non repetito exemplo summam post Deum in terris potestatem ac imperium, ad hanc scientiam properans, acquirendam in alterius manus deposuit.

14. O vos felicissimos beatissimosque futuros, qui ob hanc tantam talemque scientiam, tam stabilem ac perfectam, tam semper magni a vobis aestimatum ac tanto desiderio conatuque a plurimis quaesuram, fluxorum studiorum tractionem contemnetis! 15. Quamquam vobis Dei causa politioribus saeculi huius moribus ac habitu exutis, Adolescentes litterarum studiosissimi, politioris doctrinae notitia simul non auferetur, quin amplior augebitur. Quandoquidem inopinatum saepissime a Deo sibi infundi scientiam cognoscunt ii, qui, despectis mundi istius illecebris libertatisque iure sponte abdicato, strictam caeli viam sub suavi Crucis iugo ingrediuntur. 16. Maxima enim sibi divinitus concessa etiam liberalium artium diversarumque scientiarum polere solent cognitione liberrima Regis aeterni mancipia religiosi viri.

17b. Cum etenim scientia donum Dei sit, citius copiosusque nemini, quam Dei famulis confertur. Nec immerito, si namque dominus proprium servum,

imperator militem, rex aulicum magis exornare cupit et honoribus et aliis fortunis, quam alterum, multo id exactius facit ille siderum terrarumque omnium Monarcha, DEUS, qui sibi obsequentissimos tantis donis accumulatur, quanta vix ipsimet exoptare sperareque possunt. 18q. Atque cum variis varia profusissime largiantur, tum praecipue in religiosos viros est liberalis, quibus cum superflua quandoque liberaliter impertitur, longe liberalius necessaria donat. q. Inter quae cum scientia, utpote gentium Doctoribus et Apostolorum Vicariis convenientissima, reponenda sit, tanta hac illos distat atque beat, ut experientia Magistra unusquisque doctior semper in religioso cucullo evadat, quam fuerit ante in doctorali bireto.

19 r. An vero huius rei paucos testes possum producere toti mundo notissimos? t. Prodeat mihi ille philosophorum cuiusque aevi Phoebus, Albertus, a magna scientia Magnus; nonne hic rudis et ignarus ad sanctissimum sapientissimumque D. Dominici ordinem admissus erat, nihilominus infinitus eius sapientiae numerus est? p.c. Ubi hanc hausit? in religione. q. Prodeat alter, magni Magistri magnus Discipulus, theologorum Princeps, Aquinas, quem bovem quidem mutum religiosi condiscipuli in ipsis religionis vitae ac disciplinae primordiis et putabant et appellabant; sed hic ex oraculo Magistri tam altum mugit Bos, ut universum orbem non rudibus maximae scientiae vocibus impleverit. pc. ubi istam accepit? in religione. t. Prodeat insuper Angelico Thomae Seraphicus Bonaventura, aequalis tempore, pietate, eruditione, cuius doctrinae plusquam humanae uberrimis fontibus non solum D. Francisci irrigatur Familia, sed omnium religiosorum ac saecularium Academiarum sitis etiamnum domatur. pc. Ubi et hic doctrinam acquisivit? in religione. t. Prodeat ultimus ordine, sed nequaquam scientia ultimus, subtilissimus ille divinarum rerum Magister ac beatissimus magistrorum Ioannes Scotus, qui habitu, moribus, doctrinaque suum Bonaventuram aemulatus, tanta scientiarum monumenta orbi exhibuit, ut non inter paucos de theologico principatu, illine an Aquinati sit conferendus, honestam litem moverit. pc. Ubi quoque iste scientiam paene divinam assecutus est? in religione.

20.b. Praetereo doctissimum Rupertum Tuitiensium Abbatem, qui suam admirabilem doctrinam Sedi Matrique Sapientiae, Virgini Beatissimae in religiosa, ab ea sibi propinata solitudine refert in acceptis. q. Non produco Cornelium, interpretem Sacrarum Litterarum sagacissimum ac nulli secundum, qui sapientissime conscriptos in Sapientis axiomata commentarios eidem Virgini Optimae Maximaeque consecrans: Mare, inquit, Sapientiae et Gratiae es tu, o Maria Mater nostra! ad te ergo flumina sapientiae, quae in nos effudisti, regrediantur, ut iterum fluant. v. En ut refundit in Oceanum scientiarum dogmata sua rursus haustus. t. Quis alios infinitos religiosae vitae sectatores enumeret, qui non tantum beneficio Dei, sed quodammodo ex iustitiae vi tam exculsi sibi scientiis infusus evaserunt, ut universus paene orbis, non litterariae solum palestrae doctique viri eos admirentur, venerentur, colant? t. Sed ne forte maximum argumentum praeterire videatur, inspicite, quaeso, lucidissimos Ecclesiae soles, Augustinos, Hieronymos, Gregorios, Ambrosios, Basilios, Chrysostomos, nonne plenos claritate sapientiae animadvertetis? t. At cogitate, hos non tantum fuisse pontifices, verum etiam religiosos ex occultisque religiosae solitudinis abditis illos, quos miramini, quibus illuminamini, delectamini, fruimini, scientiarum radios deprompsisse.

21 t. Quod cum ita se habeat, ne dubitate, Adolescentes litterarum studiosissimi, cum vestra studia ob festinam divinae vocationis exse-

ditionem continuare neglexeritis, ne, inquam, dubitate vobis a Deo omnigenam esse infundendam sapientiam, vel saltem (quod magis exoptandum censeo) maximum ad omnium scientiarum assequendam perfectionem auxilium praestandum esse. 22 t. Quod si nondum a me persuasi estis, ut ob non negligendam vestram vocationem studia vestra negligatis, cogitate demum: Meliorem esse vitam aeternam temporali. 23. q. Quod etenim caelestis Magister de alia re alicubi vehementer disserit: quid prodest homini, si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? satius hic mutatis mutandis usurpandum ac dicendum: quid commodi affert scientiarum omnium alicui peritia mortali, si immortalis vita propter eam spoliatur? pa. Quid lucri est optimum grammaticum, chemicum, geometram, perfectissimum denique philosophum et absolutissimum theologum agere et deinceps propter has indigno modo tractatas artes et scientias poena damni puniri, visione Dei privari, caeleste regnum amittere?

24. Praebete tantisper aures, Adolescentes litterarum studiosissimi, doctissimo quondam Udoni in stygia palude lacrinis inter questus inundanti; excipite querulas infelicis hominis voces lamentantem audite. v. Miserum me! (clamat ille damnatus Udo), miserum me ac omnium infelicissimum! b. Quem ignorantia ad caelos, pietate stipata, evexisset, hunc infusa scientia committante luxuria ad tartara deturbavit. q. Pudebat me rudem vocari; pudebat a comitionibus ob inscitiam explodi; nunc magis magisque pudet fuisse doctissimum et causa scientiae temporalis aeternae confusionis domicilium subiisse. t. Petii caelestis a Sapientiae Matre sapientiam, sed quid petierim ignoravi, nesciens temporalem scientiam aeternae vitae maxime fuisse obfuturam. b. Nactus enim (eheu! quo bono?) nactus inauditam scientiam, perdidit huius gratiae caelestem vitam. t. Cum enim haec in apicem pontificiae dignitatis me elevasset, luxuriam mihi, velut in regio Salomonis Throno, filiam genuit, quae meam animam, timendo sapientibus exemplo, in gehennae praecipitium deiecit. b. Sapite, heu! posteri Udonis malo, ac deplorando meo periculo cautiore effecti, pluris aeternam vitam, quam in fumos abituram scientiam aestimate.

25. t. Verum a flammis Plutonis ad pocula Bacchi veniamus, ita tamen ea contemnemur, ut aeterna siti puniri agnoscamus. t. Videte igitur, oro vos atque obsecro, Adolescentes litterarum studiosissimi, quam miseri, quam foede homines mero, aut alio quovis potu ebrii frequenter intereunt! b. Vel enim, propter levissimam causam mutuo contendentes, mactantur; vel illo ipso, quem delicatissime ac suavissime avidissimeque hauriunt, potu obruti, animam cum potu simul (venia sit verbo) in stygias flammis eructant et evomunt. t. Sic, sic intemperata scientia, quasi musto quodam, obfuscati, immortalem vitam, ut ebrii mortalem, amittunt. 26. b. Quare non immerito verbis Apostolorum Principis monemur, ut non nisi ad sobrietatem sapiamus. 27. b. Taceo alia mille discrimina, in quae scientia mortalium plurimorum salutem abducere potest. t. Ille unus inevitabilis scopulus est, in quem magno numero viri docti, vento fastus abrepti sordidaeque iactantiae ex scientia erumpentis impulsus tempestate, gravissime impingunt; siquidem plane naturale scientiae est inflare.

28 v. Quis, adhauc his non territus periculis, temporaneam eruditionem perenni vitae renuat postponere? 29 t. Vos ego obtestor, Adolescentes litterarum studiosissimi, ut tandem victas mihi porrigentes manus, vanam, inutilem et fortassis multum vobis nocituram studiorum continuationem divinae adhaerendo vocationi relinquatis et omnino ex vestris animis eradatis. 30. b. Subducite vestras naves ex periculosissimo mundi Oceano et ad religiosae vitae portum felicissimum quietissimumque, divinae gratiae afflantibus Zephyris, toto applaudente caelo, universo vere sapien-

tium virorum gratulante Senatu, quantocius advertite. 31.t. Nulli vobis iam amplius in navigando scopuli pericula minantur; omnes iam Syrtes et perniciosas Charybdes inanium scientias continuandi scrupulorum mea scapha sum praetergressus, vobis tutissimum ac salutare demonstrans iter. An me sequi, an vestras post me naves impellere noletis, aut timebitis?

32. t. Adeste animis; committite vela faustissimae Divini spiritus /
dum tempus navigandi suppetit; toto virium nisu, toto mentis et corporis conatu, velis ac remis, ad beatissimam religiosi status stationem contendite.

P R A X I S II.

QUAESTIO. An Eloquentia omni hominum statui est necessaria? Status coniecturalis: nam ex circumstantiis variorum statuum cognoscitur esse necessaria. Crinomenon & Propositio: Eloquentiam omni hominum statui esse necessariam. Huc accedit etiam Causa: quae quoniam eo tendit, ut per apte confirmatam propositionem Eloquentia laudetur, ametur, discatur; ostendit hanc orationem ad exornativum pertinere.

INVENTIO & DISPOSITIO.

EXORDIUM per Collectionem quinque partitam. Prop. Collectionis. Nemo mihi vitio vertet, quod Eloquentiam docturus commendem. q.n.1. Ratio. Quia nihil homines absque commendatione amplectuntur. q.n.2. Rationis probatio. Nam humanus animus, veluti rex, debet prius cognoscere optimum esse, quod velit acceptare. q.n.3. Epolitio a proverbio. q.n.4. Amplificatur per inductionem variis periodis. n.5. Complexio continet illationem ex superioribus factam. n.6. Propositio orationis. Docebo eloquentiam omni hominum statui esse necessariam. n.7. Attentio petitur cum ratione. n.8.

Confirmatio constat unico argumento ex genere desumpto et per Enthymema quadripartitum disposito. Antecedens: Omnes humaniores litterae omni hominum statui sunt necessariae. n.9. Probatur per Enumerationem Artium, ac imprimis grammaticae, n.11,12; postmodum historiae, n.13,14,15, quarum uniuscuiusque veris rationibus necessitas demonstratur. Transitio a thesi ad hypothesim, n.16. Consequens. Ergo et rhetorica omni hominum statui est necessaria. n.17. Amplificetur et probatur his circumstantiis. 1. Eloquentia indiget rex ect. n.19. Indiget senator. n.20. Indiget cancellarius. n.21. Indiget legatus, dux, consiliarius, concionator, doctor ect. n.22,23,24,25,26,27.

Peroratio his punctis constat. Ostendi vobis Eloquentiam esse necessariam n.28.2. Ergo illius ad studium incumbite n.29.3. Ille erit eloquentissimus, qui hoc nunquam postponet.

ELOCUTIO.

Si me lateret vestra, Auditores humanissimi, (1)q. sapientia, non sine aliqua coniectura suspicari possem, quosdam ex vobis inveniri posse, qui non adeo pulchre meum nomen commendarent, quod eloquentiam docturus prius commendare vellem. 2t. Sed non ignoratis omnes eam esse hominum voluntatem, ut nihil, tametsi optimum et honestissimum, amplectatur, antequam illius dignam percipiat commendationem. 3q. Nec immerito. Rex enim, cum sit humanus animus, decet eum nihil invitum aggredi, in earumque tantum oblectationem rerum quiescere, quas multis argumentis, iisque firmissimis persuasus, optimas esse probaverit. 4q. Hic licet aliquis illus in vulgus effa-

tum suum spargat: laudat venales, qui vult extrudere merces; non tamen ex veteri consuetudine inductam prorsus in universum orbem poterit legem refellere, quod nihil omnino sine commendatione non solum in animum sit admittendum, sed ne quidem manibus vel tangendum, vel recipiendum.

(5b.) Nemo certe temeritatis arguat imperatorem, qui militem, omni commendatione destitutum, exercitui nolit inserere. t. Nemo dominum iuste reprehendat, qui velit non alium habere servum, quam quem ipsi non solum propria virtus, sed etiam aliena oratio commendaverit. m. Honores non nisi commendatis optime conferuntur: amicitia solum bene comitis probatisque viris offertur; merces, nisi dignae pretio fuerint iudicatae, non emuntur; ad ipsam denique litterariae exercitationis palaestram quis absque commendatione admittitur? t. Uno verbo omnia complectar, cum dicam: nihil magnum, nihil optimum, nihil laudabile, nil postremo pretiosum esse, quod tale non ostenderit ingeniosa commendatio.

(6.t.) Quod cum certissimum sit, Auditores humanissimi, non ullam reprehensionem inde metuo, quod artem dicendi prius commendare, quam docere, aggrediar. (7.t.) Dabo tamen operam ut non aliam huius utar commendatione, quam quae in oculis omnium paene mortalium versatur. b. Docebo ergo, hoc brevi spatio, a benevolentia vestra mihi ad dicendum concessio, omni omnino hominum statui facultatem eloquentiae esse maxime necessariam. (8.q.) Oro atque obtestor vos, Auditores humanissimi, ut quantum ipsi vobis rhetoricam prodesse cognoscitis, quantum aliis emolumento ac laudi esse iudicatis, tantum mihi, necessitatem eius magis aperte quam fucate explicanti, favoris in audiendo concedatis. t. Quod si a vobis obtinuerit, efficiam profecto, ut et vos optime semper eloquentiae velitis et haec quae sese ad eam perdiscendam studiosissime accingit, iuventus, magnum in nobilissima arte profectum demonstrat.

(9.q.) ut vero mihi facilius, quod proposui, concedere possitis, non aperto vobiscum Marte congregiendum, sed imprimis ostendendum est: omnes eas, quascumque humaniores dicimus litteras, a nullo hominum statu esse alienas. b. Immo sic aio nobis esse necessarias, ut sine illis vita nostra vere vita esse dicique non possit (10 v.) Quis etenim hominum, nisi velit esse psittacus, sine grammatica digne queat verba formare? p.c. Nonne qui huius leges ignorant, barbaros dicimus? qui contemnunt, fatuos? qui frangunt, fuste sudeque dignos? p.a. Atque ut illum, qui sine fundamentis domum vellet exstruere, nemo non exploderet, sic eos qui vel artes reliquas, vel scientias altiores absque rudimentis grammaticis putarent se posse consequi, nemo non asini ingenium habere iudicaret. b. Videte mihi hominem ceteroqui non ignarum physicae, matheseos, aut sacrae theologiae, grammaticae vero leges ignorantem; nonne ei vestem esse pulchram, sed sine fimbriis, auream, sed male textam, dicetis? q. Ridicula quippe foedaque res est per sublime velle scientiarum remigio librari neque tamen operam dare, ut alis tuis nihil desit. t. Quemadmodum enim Icarus ceram alarum solis ad radios liquefacta lapsus e sublimi aere, Icarias nomine fecit aquas, sic omnes adminiculo sine grammaticae per altum volantes cereas videntur alas habere, cum subtilissimas rationes barbare eloquentes (quod tamen dicens, barbarus ne sim rogo) vident sese in profundo barbarismorum pelago natant, ex alto scientiarum fastigio dati praecipites.

t. Alii, cum luctant vel cum Aquinate, vel cum Alexandri praeceptore ingrediuntur, in ipso limine vincuntur a Prisciano, quem saepe inflictiis alapis modestissimum alias virum ad certamen provocant facessendo. q. Occurrit huc ad rem scitum illud Flaminini, probatissimi ducis, qui cum Philopaeonem, Achaeorum exercitus imperatorem praestanti videret equitatu pedita-

tuque abundare, pecuniis vero, qui belli nervus est, destitui, Philomenes aiebat, manus habet et crura, ventrem non habet. t. Quis hoc aptissime in eos non intorqueat, qui divinissimis illis philosophia atque theologia scientiis, veluti robustissimis brachiis atque cruribus gloriantes, grammaticen, quae ventris instar est, non colent? b. Parum enim prodest multa scire, si scita nescias eloqui facunde et erudite. t. Quamobrem omnium calculis est illius approbandum effatum, qui dixit, ut rorem et imbrem etiam adultae segetes poscunt; ita sublimiores scientiae litteras. v. Verum a grammatices ad poeseos necessitate veniamus.

(11q.) Ridere hic possunt quam plurimi, ubi me efferentem audiunt, etiam poesim hominum vario statui esse pernecessariam, quam prope infiniti, sed ideo tamen quod capere nequeant, vel exercere aspernantur. q. Nam si rem diligentius excusserimus, profecto nobis clarissime patebit, non idcirco Superiorum beneficio hanc artem mortalibus esse concessam, ut se re minime necessaria occuparent. (12.b.) Cuius enim artis vel scientia in divinis pandendis laudibus frequentior usus est, quam sacrae poeseos? Ad numerum poeticum regius Psalter suam chelym intendebat; ad numerum poeticum intacti Babylonia fornace iuvenes suum Eucharisticon decantabant; ad numerum poeticum Israelitici populi Dux profligati fluctibus marinis Pharaone triumphum resonabat. Iisdem numeris aeterni Solis Prodromi Parens, Zacharias, iisdem ipsa Dei Mater Virgo Numen immortale celebrabant. Deinde Regina formosissima, Orthodoxa nostra Ecclesia nonne ligato pede incedit, quoties Regi suo quodammodo saliens applaudit?

q. Sed ne divina tantum humanis auribus ingeramus, quaero ex vobis, Auditores humanissimi, num aliqua inveniri potest aptior heroes laudandi ratio, quam quae ab Homeris, Virgiliis, Lucanis, Claudianis, Sylliis, aliisque sescentis adhibita est? q. Ad haec utilia et delectabilia, humano generi necessaria esse quis neget? atqui et prodesse solent et delectare poetae, quod licet poeta canat, verissimum tamen est. Nam ex poetis profundissimos arcanae sapientiae thesauros erui; ex poetis nobilissimas sententiarum gemmas colligi; ex poetis uberrimam dicendi copiam hauriri, veritatem non eam molestam, quam ethici inculcant, sed iucundam et sub dulci fabularum lenocinio blande in animos influentem mortalium, reportari, quis nisi prorsus inimicus veritatis esse velit, non fateatur? Ad extremum, ne diutius quam par est, uno in loco haereamus, adite, obsecro, mecum, Auditores humanissimi, omnia templa, palatia, castra; omnes domus, curias, officinas; prata etiam, sylvas et compos adite, et sane audietis poesim ubique iucundissime personare.

13.t. Historiae porro necessitatem hic demonstrare censerem esse penitus superfluum nisi haec etiam ad humaniores litteras optimo iure esset alleganda, maximamque partem eloquentiae complecteretur. b. Pro superi! quanta necessitas est historiae, quanta est? sine qua totus orbis fuerit omnino surdus, caecus et mutus? b. Cui nostrum omnium hominis origo fuisset nota, nisi calamus Mosis eam patefecisset? p. Quis omnium rerum principia, quis caeli mundique fundamenta, quis aetatem, scelera, poenasque Gigantum scisset, Noemi labores cum iustitia, Abrahami pietatem cum oboedientia, Josephi variam fortunam cum castimonia, Hebraeae gentis exilium cum recuperata libertate, Pharaonis admirabilem interitum, nisi haec omnia eiusdem scriptoris divinissimi sacra manus annotasset ad omnemque posteritatem transmisisset legenda? p. Nemo quidquam de probitate Samuelis, nemo de lapsu paenitentiae Davidis, nemo de sapientia Salomonis ac divitiis, nemo de Roboami stultitia, nemo de rectitudine Iosaphati, nemo quidquam de captivitate et liberatione Manassis audisset, si haec sacrae litterae ad

nostra tempora non perduxissent. p. Latuisset nos Deborae magnanimitas, latuisset Iudithae fortitudo, latuisset Hesterae felicitas, Abigailis prudentia, innocentia Susannae; latuisset denique temperantia Eliae, zelus Heli-saei, Samsoni robur, fides Gedeonis, Thobiae religiositas, Iobi patientia et aliorum infinitorum infinitae virtutes, gesta, victoriae, triumphus, si hos nobis divina pagina non enarrasset.

14.p. Quis magnitudinem Alexandri et Pompei? quis opes Craesi et Crassi? quis Xerxis, Cyri Dariique calamitatem? quis Hectoris et Achillis celebria nimina? quis Iulii et Augusti fortunam? quis Platonis et Aristotelis sapientiam? quis Tullii et Demosthenis facundiam? quis Troiae, Carthaginis, Hierosolymaeque excidium nosset, nisi fida praeceptorum enarratrix historia nos tantarum totque rerum cognitionis participes reddidisset.

15.p. At neque haberemus agendi bene exempla, neque stimulos virtutum, neque rationem varios casus evitandi, vitia corrigendi, beatamque vitam consequendi, si haec nobis eadem fecunda rerum omnium Mater Historia non suppeditaret. t. Non opus est pluribus, praesertim apud vos, auditores humanissimi, tam bono iudicio praeditos, ut facile possitis animadvertere, quae sit necessitas omnigenae historiae, Magistrae veritatis. pc. Luce quispiam indiget? lumen est mundi historia. Aures aliquis habet surdas? reserabit has historia. Loqui nescit non nemo? lingua est disertissima historia. Vis maiorum gesta cognoscere? historiam adi, cognosces. Vis castigata scelera videre? historia tibi demonstrabit. Vis adornatas dignis praemiis virtutes cum delectatione spectare? dabit has historia. Vis, quid sequendum, quid cavendum tibi sit, intelligere? docebit te historia. Vis, demum, rectam viam ad beatitudinem invenire? eam tibi pandere potest historia.

Illa ego (ipsa haec de se loquitur) quae gestu praesum
custodiae rebus,

Digero, quod caveas, quodque sequaris iter.
Priscaque, ne veteris vanescat gloria saeculi,
Vivida defensant, quae monumenta damus.
Et sua virtuti per me sunt praemia; rursus
Impia famosis defero facta notis.
Eloquor et summi quantum iactentur et imi
Eloquor et caecae fasque nefasque Deae.
Quod maius theatrum circusque capacior et quae
Doctior humanas scaena referre vices?
Me sine quis prudens? unde experientia maior?
Quis me adiit tandem non magis doctus eat?
Omnis enim nostro pendet prudentia sensu,
Riteque nil, nostra quod caret arte, sapit.

(16.t.) Sed mirabitur, forsitan, aliquis, me in exponenda aliarum artium necessitate tam diu versari, cum negotium promovendum solius rhetoricae susceperim. q. Potest, credo, ille solus mirari, qui nusquam audivit Tullium dicentem, quod "Omnes artes, quae ad humanitatem pertinent, habent commune quoddam vinculum et quasi cognatione quadam inter se continentur". p.c. Si igitur unam earum omni statui esse faterer necessariam, etiam reliquas; sin omnes, etiam unam, b. Quapropter qui sibi ancillis opus esse iudicaverit, an non magis egebit ipsa Regina humaniorum litterarum, Eloquencia? (17.in.) Haec est profecto, haec illa terrarum Domina, quae omnibus imperat, omnes frenat, omnes in officio continet, sine qua nullus hominum status aut securus, aut laudabilis, aut pius, aut bene compositus, aut denique felix esse potest.

(18 p.c.) Inspecite cathedras ecclesiarum: regnat in his eloquentia. Inspecite curiarum rostra: dominatur in his eloquentia. Inspecite senatorii concilii subsellia: triumphat in his eloquentia. Inspecite conventum equestris ordinis: maximam hic vim et reverentiam habet eloquentia. q. Ad scholas nolo vestram ducere prudentiam: amentis enim esset hominis dubitare, nihil ibi opus esse eloquentia, ubi sine hac nihil bonum, nihil utile, nihil denique scholasticum iudicatur.

(19.b.) Progrediar ulterius, Auditores humanissimi, vestraque benevolentia fretus varios ac praecipuos hominum status dictionis cursu pervagabor. q. Ac imprimis illos accedo, qui divina, primum providentia, deinde vel electionis, vel successionis iure ad hominum, regnorum et rerum publicarum gubernationem destinantur, videoque ex his optime et quietissime imperare eos, qui perfectissima eloquentia praediti sunt. q. Cum enim humanum genus libero arbitrio donatum sit, in quibusvis actionibus liberam electionem vult habere, atque hinc facilius ad omnia suavi trahitur facundiae lenocinio, quam duritia mandatorum compellitur. v. Sapienter ad rem nostram celeberrimus Princeps locutus est: Hominum imperium ratione et oratione constat, quarum altera regere populos sola non potest, altera non meretur, utraque Principem absolvit. Hoc solum inter eas interest, quod rationi quidem paret, ceteris autem imperat oratio. .

v. Revocate vobis in mentem, Auditores humanissimi, si quando illud spectatis de Hercule vetus pictorum commentum. Pingebant illi Herculem, innumerabiles hominum turmas aureis catenis trahentem. p.c. Non manu vero, sed ore catenas tenebat. Cur ita? nam per has suavis illius eloquentia, qua barbaros etiam populos in officio retinebat, notabatur. Id vero quo fundamento? Sicut enim aurea vincula, tametsi gravia fuerint, grata tamen propter sui pretium et colorem cum valore praecipuum ac nemini sunt molesta, ita eorum imperia neminem angunt, laedunt, aggravant; qui quod imperant, suavissima oratione faciendum persuadent. q. Atque ea, credo, de causa Hebraeus populus etsi durum Salomonis iugum perlibenter tolerabat, quod aequae facundissimus atque sapientissimus Rex dulcissimis eloquentiae condimentis mandata sua nosset attemperasse; ubi vero ineptus et tam male eloquens, quam male sapiens Roboam paterni sceptri gubernacula accepit, decem tribus, mota rebellione, ab infacundae mentis et infacundi oris Domino recesserunt. b. Colligite igitur ex his, Auditores honestissimi, quam necessaria sit principibus, dynastis, regibus et quibusvis monarchis eloquentia.

(20.v.) Post absolutum supremum fastigium senatores collocemus. b. His profecto, contradicente nemine, vel ex ipso munere tantae dignitatis incumbit, ut non mediocriter tantum, sed etiam summe eloquentia sint imbuti. t. Nam concipiant hi defaecata mente saluberrimam sententiam, si verbis eam dignis, uberibus et accommodatis proferre non poterunt, quem eorum sapientia, ratio, consilium absque eloquentia iuvabit? t. Nolo huc aliarum gentium consuetudines atque ritus evocare et in diligentissimum adducere examen; in Polonia nostra nullibi sane gloriosius quam in Senatu regnat facundia. b. Assiduo hoc usu et experientia observatum est, neminem in eo sacrosancto ordine Harpocratem coli, sed Mercurium.

(21.s.) Porro munus illud, quod usitato vocabulo Cancellarii dicimus, bone Deus! quantam et quam divinam, quam seriam, quam prudentem, naturam, copiosam eloquentiam requirit! q. Quis enim illum non asserat habere debere linguam Regis, qui Regis nomine tot legatis, nuntiis, civibus responsa dat? qui omnia format decreta, omnium Regni monumentorum curam gerit?

(22) t. Quid de Legato dicam? hunc quam oporteat esse facundum vel prudentem sua fictione docuit antiquitas, quae facundiae repertorem Mercurium Deo-

rum fuisse Internuntium fabulose licet, sapienter tamen affirmabat. b. Quam felix hanc ob rem belliocosissimus Regum Pyrrhus fuit, cui plures urbes Cyneae legati facundia, quam robore militum expugnatas contigit numerasse. p. Nostra aetate quantam Polono Nomini gloriam apud Sanctissimos Pontifices et Sapientissimos, apud augustissimos Imperatores, apud Serenissimos Reges, apud Potentissimos Principes et Republicas eloquentissimi Ossolinii (honoris causa immortalitate dignissimum Virum nomino) Legatio comparavit, cum hunc alii Sarmaticum Ciceronem, alii novum Demosthenem, quidam verissimum Mercurium appellabant, mirabantur, reverebantur.

(23) b. Sed a toga ad sagum descendo, vosque omnes, quotquot unquam maximos exercitus duxistis, compello. Fateamini, obsecro, pluresne vestris armis hostes superastis, quam facundia? t. Ego sane id verissimum esse censeo: in bellis omnem victoriam non tam a robore militum, quam a Ducis adhortatione dependere, quae etiam imbellibus non animos tantum, sed etiam vires additat. Quis enim vel in ipsa tartara Patriam vindicaturus non ruat, cum illi facunde persuaseris dulce et decorum esse pro Patria mori? v. Omnino hic timidus animat, fortes accendit, debiles roborat, pigros exstimulat, nolentes impellit eloquentis Imperatoris oratio. In qua ubi omnes exceperunt, nihil praeter pugnam appetunt, nihil praeter vulnera cogitant, nihil praeter mortem expectant, aut victoriam, clamantque mutuo se adhortantes: aut vincendum, aut moriendum. v. Ita neque rigida Martis acies artis oratoriae suppetias potest non desiderare.

(24) b. Nolo me ex castris ad Iudicium subsellia conferre et quam ibi sit opus eloquentia demonstrare. b. Omnes enim, A. H., perspexistis, saepe in iudiciis ob faecundi patroni defectum condemnatam gemisse innocentiam. b. Quod si nondum aliquis haec se animadvertisse fatetur, sciat is propter aliquam parentis eloquentiae trepidationem Romano Miloni fuisse exsulandum, Ac quemadmodum in palaestra forti luctatori praevaleret fortior, sic in causa vel oppugnanda, vel propugnanda vincit eloquentior. q. Testis huius rei clarissimus est Aeschines orator qui cum Rhodi exsul orationem suam, adversus Demosthenem Athenis habitam, recitasset, admirantibus universis Rhodiis, eum tali oratione adversarium non profligasse, exclamasse fertur: Ah! desineretis admirari, si quae ad haec respondit Demosthenes, audissetis. v. Nimirum, seu vincere vis, seu non vis vinci, eloquentia tibi summa opus est in praetorio.

(25) b. Sacra hic exedras reverenter in ultimis exosculor neque opusne habeat rhetoribus disputo. t. Vestris haec iudiciis, A. H., relinquo, qui facili negotio definire potestis, plorantemne verbi divini praeconem malitis audire, an tonantem? pium an disertum? religiosum an eruditum? Mihi profecto semper illi primam in sacris rostris lauream promereri videntur, qui cum gemitu motum, cum pietate facundiam, cum religione eruditionem suavi nexu sciunt copulare. t. In promptu sententiae huius rationem habeo, cum vos ibi frequentiores adesse video, ubi non frigidus, non siccus, non durus aut asper, sed fervens, eloquens, copiosus, persuavis ecclesiastes cathedram adornat.

(26) t. Quodsi demum volueritis mecum ad publica lectoria descendere, illos hic omnino probabit et approbabit doctores, qui suas vel artes, vel scientias facunde sciunt exponere. (27) t. Ceterum per cameras institutorias, per varias officinas, per omnium artificium diversoria non est mihi ratio vagandi, nec intentio, ne forte et me ipsum inani cursu fatigem et vestra benevolentia, patientiaque abutar. b. Itaque constringo frena orationi meae gressumque sisto. (28) b. Nam et ex his, quae iam dicta sunt, unusquisque percipere caleat: Eloquentiae cognitionem. artem et usum universo hominum generi ac statui non secus ac ignem, aerem, aquam, panemque mortalibus

universis esse necessariam. (29)t. Nihil igitur amplius dicendum superest, nisi ut vos, qui ad hanc artium terrarumque Reginam perdiscendam anhelatis, moneam, ut quandoquidem quid sit in eloquentia necessitatis positum, me demonstrante animadvertistis, omnes vestras vires, omne tempus, omnem aetatem ad eam comparandam atque retinendam conferatis. (30)b. Ille mihi fuerit eloquentissimus, qui donec loqui desierit, studium non deseret eloquentiae.

P R A X I S III.

In Genere Iudiciali.

ARGUMENTUM. Philippo Macedoniae duo filii fuere. Perseus alter natu maior; Demetrius alter, indole et gratia Romanorum, quibus a Rege patre datus erat obses, praeclarior. Atque hoc ipsi fraternum odium peperit et apud patrem suspicionem movit affectandi regni. Quam ut Perseus non vanam esse confirmaret, accusavit Demetrium caesis intractae sibi, ut sublato Regni haerede primogenito, patrem quoque tolleret sceptri causa. Constat haec actio querela patris, accusatione Persei, Demetriique defensione. Mirum in ea artificium adeo, ut ab ore dicentium calamo scriptoris rapta esse videatur. (Livius 1.40,8-16)

Q U E R E L A .

Philippus in partem interiorem secedens
cum duobus amicis totidemque
custodibus, filios de nefando
crimine disceptaturos, ita,
querens, alloquitur.

(8) Sedeo, miserrimus pater, iudex inter duos filios, accusatorem parricidii et reum, aut conficti, aut admissi criminis labem apud meos inventurus. Iam pridem quidem hanc procellam imminentem timebam, cum vultus interdum vox minime fraternos cernerem, cum voces quasdam exaudirem; sed interdum spes animum subibat, deflagrare iras vestras, purgari suspensiones posse; etiam hostes, armis positis, foedus icisse et privatas multorum simultates finitas; subituram vobis aliquando germanitatis memoriam, puerilis quondam simplicitatis consuetudinisque inter vos, meorum denique praeceptorum, quae, vereor, ne vana surdis auribus cecinerim. Quoties ego, audientibus vobis, detestatus exempla discordiarum fraternarum, horrendos eventus eorum retuli, quibus se stirpemque suam, domos, regna, funditus evertissent? Meliora quoque exempla parte altera posui, sociabilem consortionem inter binos Lacedaemoniorum reges, salutarem per multa saecula ipsis patriaeque. Eandem civitatem, postquam mos sibi cuique rapiendi tyrannidem exortus sit, eversam. Jam hos Eumenem Attalumque fratres, a quam exiguis rebus, prope ut puderet regii nominis, mihi, Antiocho et cuilibet regum huius aetatis, nulla re magis, quam fraterna unanimitate, regnum aequasse.

Ne Romanis quidem exemplis abstinui, quae aut visa, aut audita habebam: T. et L. Quinctiorum, qui bellum mecum gesserunt; P. et L. Scipionum, qui Antiochum devicerunt; patris patrique eorum, quorum perpetuam vitae concordiam mors quoque miscuit. Neque vos illorum scelus, similisque sceleris eventus detertere a vecordi discordia potuit, neque horum bona mens, bona fortuna ad sanitatem flectere. Vivo et spirante me, haereditatem meam ambo et spe et cupiditate improba crevistis. Eo usque me vivere vultis, donec alterius vestrum superstes haud ambiguum regem alterum mea morte faciam. Nec fratrem nec patrem potestis pati, nihil cari, nihil sancti est; in omnium vicem regni unius insatiabilis amor successit. Agite, conscelerata aures pa-

ternas; decernite criminibus, mox ferro decreturi; dicite palam, quidquid aut veri potestis, aut comminisci libet. Reseratae aures sunt, quae posthac secretis alterius ab altero criminibus claudentur.

A C C U S A T I O

Haec, furens ira, cum dixisset Philippus,
lacrimae omnibus obortae et diu
mestum silentium tenuit.
Tum Perseus accusationem
sic exorsus.

(9) Aperienda nimirum nocte ianua fuit et armati commissatores accipiendi praebendumque ferro iugulum, quoniam non creditur, nisi perpetratum, facinus; et eadem petitus insidiis audio, quae latro atque insidiator. Non nequidquam isti unum Demetrium filium te habere, me subditum et pellice genitum appellant; nam si gradum, si caritatem filii apud te haberem, non in me, querentem deprehensas insidias, sed in eum, qui fecisset, saevires; nec adeo tibi vilis vita esset nostra, ut nec praeterito periculo meo movereris, neque futuro, si insidiantibus sit impune. Itaque, si mori tacitum oportet, taceamus, precati tantum Deos, ut a me coeptum scelus in me finem habeat, nec per meum latus tu petaris. Sin autem (quod circumventis in solitudine natura ipsa subicit, ut hominum, quos nunquam viderint, fidem tamen implorent) mihi quoque, ferrum in me strictum cernenti, vocem mittere liceat; per te patriumque nomen, quod utri nostrum sanctius sit, iam pridem sentis, ita me audias, precor, tamquam si, voce et comploratione nocturna excitus, mihi quiritanti intervenisses, Demetrium cum armatis nocte intempesta in vestibulo meo deprehendisses; quod tum vociferarer in re praesenti pavidus, hoc nunc, postero die, queror.

Frater, non commissantium in vicem iam diu vivimus inter nos; regnare utique vis, huic spei tuae obstat aetas mea, obstat gentium ius, obstat vetustus Macedoniae mos, obstat vero etiam patris iudicium. Haec transcendere, nisi per meum sanguinem, non potes; omnia moliris et tentas; adhuc seu cura mea, seu fortuna, restitit parricidio tuo. Hesternae die in lustratione et decursu, et simulacro ludicro pugnae, funestum prope proelium fecisti, nec me aliud a morte vindicavit, quam quod me ac meos vinci passus sum. Ab hostili proelio, tamquam fraterno lusu, pertrahere me ad coenam voluisti. Credis me, pater, inter inermes convivas coenaturum fuisse, ad quem armati commissatum venerunt? credis nihil a gladiis nocte periculum fuisse, quem sudibus, te inspectante, prope occiderunt? Quid hoc noctis, quid inimicus ad iratum, quid cum ferro subcinctis juvenibus venis? Convivam me tibi committere ausus non sum; commissatorem te cum armatis venientem recipiam? Si aperta ianua fuisset, funus meum parares hoc tempore, pater, quo quaerentem audis. Nihil ego, tamquam accusator, criminose nec dubia argumentis colligendo ago. Quid enim? negat se cum multitudine venisse ad ianuam meam? an ferro subcinctos secum fuisse? Quos nominaveró, arcesse; possunt quidem omnia audere, qui hoc ausi sunt; non tamen audebunt negare. Si deprehensos intra limen meum cum ferro ad te deducerem, pro manifesto haberes; fatentes pro deprehensis habe.

(10) Exsecrare nunc cupiditatem regni et furias fraternas concitata, sed, ne sint caecae, pater, exsecrationes tuae, discerne et dispice insidiatorem et petitum insidiis, noxium huic esse caput. Qui occisurus fratrem fuit, habeat etiam iratos paternos Deos; qui periturus fraterno scelere

fuit, perfugium in patris misericordia et iustitia habeat. Quo enim alio confugiam, cui non sollemne lustrale exercitus tui, non decursus militum, non domus, non epulae, non nox, ad quietem data naturae beneficio mortalibus, tuta est? Si iero ad fratrem invitatus, moriendum est; si recepero intra ianuam commissatum fratrem, moriendum est; nec eundo, nec manendo insidias evito; quo me conferam? Nihil praetor Deos, pater, et te colui; non Romanos habeo, ad quos confugiam; perisse expetunt, quia tuis iniuriis doleo, quia ademptas tot urbes, tot gentes, modo Thraciae marinam oram, indignor; nec me, nec te incolumi, Macedoniam suam futuram sperant. Si me scelus fratris, te senectus absumperit, aut ne ea quidem exspectata fuerit, regem regnumque Macedoniae sua futura sciunt. Siquid extra Macedoniam tibi Romani reliquissent, mihi quoque id relictum crederem receptaculum.

At in Macedonibus satis praesidii est. Vidisti hesternum die impetum in me militum. Quid illis defuit, nisi ferrum? Quod illis defuit interdiu, convivae fratris noctu sumpserunt. Quid de magna parte principum loquar, qui in Romanis spem omnem dignitatis et fortunae posuerunt et in eo, qui omnia apud Romanos potest? neque, Hercule. istum mihi tantum, fratri maiori, sed prope est, ut tibi quoque ipsi, regi et patri, praeferant. Iste enim est, cuius beneficio poenam tibi senatus remisit, qui nunc te ab armis Romanis protegit, qui tuam senectutem obligatam et obnoxiam adolescentiae suae esse aequum censet. Pro isto Romani stant, pro isto omnes urbes tuo imperio liberatae, pro isto Macedones, qui pace Romana gaudent; mihi praeter te, pater, quid usquam aut spei, aut praesidii est?

(11) Quo spectare illas litteras ad te nunc missas T. Quinctii credis, quibus et bene te consuluisse rebus tuis ait, quod Demetrium Romam miseris, et hortatur, ut iterum et cum pluribus et primoribus Macedonum remittas eum? T. Quinctius nunc est auctor omnium rerum isti et magister. Eum sibi, te abdicato patre, in locum tuum substituit; illic ante omnia clandestina concocta sunt consilia. Quaeruntur adiutores consiliis, cum te plures, et principes Macedonum, cum isto mittere iubet. Qui hinc integri et sinceri Romam eunt, Philippum regem se habere credentes, imbuti illinc et infecti Romam delinimentis redeunt. Demetrius iis unus omnia est; eum iam regem, vivo patre, appellant. Haec si indignor, audiendum est statim, non ab aliis solum, sed etiam a te, pater, cupiditatis regni crimen. Ego vero, si in medio ponitur, non agnosco; quem enim suo loco moveo, ut ipse in eius locum succedam? Unus ante me pater est et, ut diu sit, Deos rogo. Superstes (et ita sim, si merbor, ut ipse me esse velit) haereditatem regni, si pater tradet, accipiam.

Cupit regnum, et quidem scelerate cupit, qui transcendere festinat ordinem aetatis, naturae, moris Macedonum, juris gentium. Obstat frater maior, ad quem iure, voluntate etiam patris regnum pertinet. Tollatur: non primus regnum fraterna caede petiero. Pater senex et filio solus orbatus, de se magis timebit, quam ut filii necem ulciscatur. Romani laetabuntur, probabunt, defendent factum. Hae spes incertae, pater, sed non inanes sunt; ita enim se res habet: periculum vitae propellere a me potes, puniendo eos, qui ad me interficiendum ferrum sumpserunt; si facinori eorum successerit, mortem meam idem tu persequi non poteris.

D E F E N S I O

- (12) Postquam dicendi finem Perseus fecit, coniecti eorum, qui aderant, oculi in Demetrium sunt, velut confestim responsurus esset; deinde diu fuit silentium, cum perfusum flētu appareret omnibus loqui non posse. Tandem vicit dolorem ipsa necessitas, cum dicere iuberent, atque ita orsus est.

Omnia, quae reorum antea fuerant auxilia, pater, praeoccupavit accusator. Simulatis lacrimis in alterius perniciem veras meas lacrimas suspectas tibi fecit, cum ipse, ex quo ab Roma redii, per occulta cum suis colloquia dies noctesque insidietur, ultro mihi non insidiatoris modo, sed latronis manifesti et percussoris speciem induit. Periculo suo te exterret, ut innocio fratri per eundem te maturet perniciem; perfugium sibi nusquam gentium esse ait, ut ego ne apud te quidem quidquam spei reliquae habeam. Circumventum, solum, inopem, invidia gratiae externae, quae obest potius, quam prodest, onerat, iam illud quam accusatorie, quod noctis huius crimen miscuit cum cetera insectatione vitae meae? ut et hoc, quod iam, quale sit, scies, suspectum alio vitae nostrae tenore faceret, et illam vanam criminationem spei, voluntatis, consiliorum meorum nocturno hoc ficto et composito argumento fulciret. Simul et illud quaesivit, ut repentina et minime praeparata accusatio videretur, quippe ex noctis huius metu et tumultu repentino exorta.

Oportuit autem, Perseu, si proditor ego patris regnique eram, si cum Romanis, si cum aliis inimicis patris inieram consilia, non exspectatam fabulam noctis huius esse, sed prodictionis meae ante me accusatum; si illa separata ab hac vana accusatio erat invidiamque tuam adversus me magis, quam crimen meum indicatura, hodie quoque eam aut praetermitti, aut in aliud tempus differri, ut perspiceretur, utrum ego tibi, an tu mihi novo quidem et singulari genere odii insidias fecisses. Ego tamen, quantum in hac subita perturbatione potero, separabo ea, quae tu confudisti et noctis huius insidias, aut tuas, aut meas, detegam.

Occidendi sui consilium me inisse videri vult, ut, scilicet, maiore fratre sublato, cuius iure gentium, more Macedonum, tuo etiam, ut ait, iudicio regnum est futurum, ego minor in eius, quem occidissem, succederem locum. Quid ergo illa sibi vult pars altera orationis, qua Romanos a me cultos ait atque eorum fiducia in spem regni me venisse? Nam si et in Romanis tantum momenti credebam esse, ut quem vellent imponerent Macedoniae regem, et meae tantum apud eos gratiae confidebam, quid opus parricidio fuit? An ut cruentum diadema fraterna caede gererem? ut illis ipsis, apud quos aut vera aut certe simulata probitate partam gratiam habeo, si quam forte habeo, execrabilis et invisus essem? Nisi T. Quinctium credis, cuius nutu et consiliis me nunc arguis regi, cum et ipse tali pietate vivat cum fratre, mihi fraternae caedis fuisse auctorem. Idem non Romanorum gratiam solum, sed Macedonum iudicia ac paene omnium deorum hominumque consensum collegit, per quae omnia se mihi parem in certamine non futurum crediderit; idem, tamquam in aliis omnibus rebus inferior essem, ad sceleris ultimam spem confugisse me insimulat. Vis hanc formulam cognitionis esse, ut uter timuerit ne alter dignior videretur regno, is consilium opprimendi fratris iudicetur cepisse?

13. Exsequamur tamen quocumque modo conficti ordinem criminis. Pluribus modis se petitum criminatus est, et omnes insidiarum vias in unum diem contulit, et quidem, si diis placet, lustrationum diem. Volui interdiu eum post lustrationem, cum concurrimus, occidere; volui, cum ad cenam invitavi, veneno scilicet tollere; volui, cum commissatum gladiis accincti me secuti sunt, ferro interficere. Tempora quidem qualia sint ad parricidium electa vides, lusus, convivii, commissationis. Quid? dies qualis? Quo lustratus exercitus, quo inter divisam victimam, praelatis omnium, qui unquam fuere, Macedoniae regum armis regiis, duo soli tua tegentes latera, pater, praevecti sumus, ut secutum est Macedonum agmen.

Hoc ego, etiamsi quid antea admissem piaculo dignum, lustratus et expiatus sacro, tum cum maxime in hostiam itineri nostro circumdatam intuens, parricidium, venena, gladios in commissationem praeparatos volutabam in animo, ut quibus aliis deinde sacris contaminatam omni scelere mentem expiarem? Sed caecus criminandi cupiditate animus, dum omnia suspecta efficere vult, aliud alio confundit. Nam si venero te inter cenam tollere volui, quid minus aptum fuit quam pertinaci certamine et concursu iratum te efficere, ut merito, sicut fecisti, invitatus ad cenam abnueres? Cum autem iratus negasses, utrum ut placarem te danda opera fuit, ut aliam quaererem occasionem, quoniam semel venenum paraveram, an ab illo consilio velut transiliendum ad aliud fuit, ut ferro te, et quidem eodem die, per speciem commissationis occiderem? Quo deinde modo, si te metu mortis credebam cenam vitasse meam, non ab eodem metu commissationem quoque vitaturum existimabam?

14. Non est res, qua erubescam, pater, si die festo inter aequales largiore vino sum usus. Tu quoque velim inquiras qua laetitia, quo lusu apud me celebratum hesternum convivium sit, illo etiam, pravo forsitan, gaudio provehente, quod in iuvenali armorum certamine pars nostra non inferior fuerat. Miseria haec et metus crapulam facile excusserunt; quae si non intervenissent, insidiatores nos sopiti iaceremus. Si domum tuam expugnaturus, capta domo dominum interfectorus eram, non temperassem vino in unum diem, non milites meos abstinuissem? Et ne ego me solus nimia simplicitate tuear, ipse quoque minime malus ac suspicax frater "Nihil aliud scio" inquit, "nihil arguo, nisi quod cum ferro commissatum venerunt".

Si quaeram, unde id ipsum scias, necesse erit te fateri, aut speculatorum tuorum plenam domum fuisse meam, aut illos ita aperte sumpsisse ferrum, ut omnes viderent. Et ne quid ipse aut prius inquisisse aut nunc criminose argumentari videretur, te quaerere ex iis quos nominasset iubebat, an ferrum habuissent, ut tamquam in re dubia, cum id quaesisses quod ipsi fatentur, pro convictis haberentur. Quin tu illud quaeri iubes, num tui occidendi causa ferrum sumpserint, num me auctore et sciente? Hoc enim videri vis, non illud quod fatentur et palam est. Ei sui se tuendi causa sumpsisse dicunt; recte an perperam fecerint, ipsi sui facti rationem reddent; meam causam, quae nihil eo facto contingitur, ne miscueris; aut explica utrum aperte an clam te aggressuri fuerimus. Si aperte, cur non omnes ferrum habuimus? cur nemo praeter eos, qui tuum speculatorem pulsaverunt? Si clam, quis ordo consilii fuit? Convivio soluto cum commissator ego discessissem, quattuor substitissent, ut sopitum te aggredierentur? Quomodo fefelissent et alieni et mei et maxime suspecti, quia paulo ante in rixa fuerant? Quomodo autem trucidato te ipsi evasuri fuerunt? Quattuor gladiis domus tua capi et expugnari potuit?

15. Quin tu, omissa ista nocturna fabula, ad id quod doles, quod invidia urit, reverteris? "Cur usquam regni tui mentio fit, Demetri?"

Cur dignior patris fortunae successor quibusdam videris quam ego? Cur spem meam, quae, si tu non esses, certa erat, dubiam et sollicitam facis?" Haec sentit Perseus, etsi non dicit; haec istum inimicum haec accusatorem faciunt; haec domum, haec regnum tuum criminibus et suspicionibus replent. Ego autem, pater, quemadmodum nec nunc sperare regnum, nec ambigere unquam de eo forsitan debeam, quia minor sum, quia tu me maiori cedere vis, sic illud nec debui facere nec debeo, ut indignus te patre, indignus omnibus videar; id enim vitis meis, non cediendi cui ius fasque est modestia consequar. Romanos obicis mihi et ea quae gloriae esse debent in crimen vertis. Ego nec obses Romanis ut traderer, nec ut legatus mitterer Romam petii; a te missus, ire non recusavi. Utroque tempore ita me gessi, ne tibi pudori, ne regno tuo, ne genti Macedonum essem. Itaque mihi cum Romanis, pater, causa amicitiae tu fuit. Quoad tecum illis pax manebit, mecum quoque gratia erit; si bellum esse coeperit, qui obses, qui legatus pro patre non inutilis fui, idem hostis illis acerrimus ero. Nec hodie, ut prosit mihi gratia Romanorum, postulo; ne obsit tantum deprecor. Nec in bello coepit, nec ad bellum reservatur; pacis pignus fui, ad pacem retinendam legatus missus sum; neutra res mihi nec gloriae nec crimini sit.

Ego si quid impie in te, pater, si quid scelerate in fratrem admisi, nullam deprecor poenam; si innocens sum, ne invidia conflagrem, cum crimine non possim, deprecor. Non hodie me, primum frater accusat, sed hodie primum aperte, nullo meo in se merito. Si mihi pater succenseret, te maiorem fratrem pro minore deprecari oportebat, te adolescentiae, te errori veniam impetrare meo. Ubi praesidium esse oportebat, ibi exitium est. E convivio et comissione, prope semisomnus raptus sum ad causam parricidii dicendam; sine advocatis, sine patronis ipse pro me dicere cogor. Si pro alio dicendum esset, tempus ad meditandum et componendam orationem sumpsissem, cum quid aliud quam ingenii fama periclitarer? Ignarus quid accessitus essem, te iratum et iubentem dicere causam, fratrem accusantem audivi. Ille diu ante preparata ac meditata in me oratione est usus; ego id tantum temporis, quo accusatus, cum ad cognoscendum quid ageretur habui. Utrum momento illo horae accusatorem audirem an defensionem meditarer? Attonitus repentino atque inopinato malo, vix quid obiceretur intelligere potui; nedum satis sciam quo modo me tuear. Quid mihi spei esset, nisi patrem iudicem haberem? Apud quem, etiamsi caritate a fratre maiore vincor, misericordia certe, reus, vinci non debeo. Ego enim ut me mihi tibi que serves precor; ille ut me in securitatem suam occidas postulat. Quid eum, cum regnum ei tradideris, fracturum credis in me esse, qui iam nunc sanguinem meum sibi indulgeri aequum censet?"

EVENTUS.16. Dicenti haec lacrimae simul spiritum et vocem intercluserunt. Philippus, summotis iis, paulisper conlocutus cum amicis, pronuntiavit, non verbis se nec unius horae disceptatione causam eorum diiudicaturum, sed inquirendo in utriusque vitam ac mores, et dicta factaque in magnis parvisque rebus observando, ut omnibus apparet noctis proximae crimen facile revictum, suspectam nimiam cum Romanis Demetrii gratiam esse.

NOTA. Litteras, quae Elucutioni inseruntur, denotare Periodos, ita ut: u.- unimembrem, b.- bimembrem, t.- trimembrem, q.- quadrimembrem, pa.- pneumaticam, pc.- periodicam circumductionem, p.- pneuma, s.-schinotenem, ts.-tasim, in.- incisa, m.- membratam in appendicē, quam in corollario significant, quod in gratiam tyronum factum est.

C O R O L L A R I U M

Modi aliquot particulares
Oratiunculas construendi.

PRIMUS MODUS

Per Syllogismum quinquepartitum.

VIS e.g. laudare Polonos Milites, qui bello Möschovitico ceciderunt, hac potes Inventione ac Dispositione uti. Maior. Merentur aeternam vitam, qui in bello pro Patria suscepto moriuntur. t.n.1. Probatio maioris a consuetudine veterum. q.n.2. Confirmatio probationis ab exemplis. 1. Romani Octavio in legatione solummodo mortuo Statuam posuerunt. Efferatur cum transitione t.& s.n.3.4. Iidem Tullio Cluvio, ob Rempublicam caeso, honores decreverunt. s.n.5.3. Cicero Sulpicio & c. erigi colossus suasit et persuasit n.6. 4. Plateenses in loco victoriae obtentae sacra peragebant. pa.n.7. Sycionii similiter Aratum colebant. t.n.8. Minor. Poloni Milites Moschovitico bello pro Patria occubuerunt. b.n.9. Probatio minoris. Non enim praedae gratia (sit hic distributio) hosti se opposuerunt p.n.10. Amplificatur descriptionae pugnae. m. in b. t.n.11. Expolitur pneumate n.12. Conclusio. Ergo merentur aeternam memoriam Heroes Poloni; ergo statuas & c. q.n.13. Affectus per apostrophen ad occisos Milites n.14.

Annota hic. Confirmationes probationum, amplificationes, expolitiones, affectus et similia nunquam in syllogismo aut alia argumentationis forma (excepta collectione) essentialia partes, ut alibi innuimus, per se constituere. Hinc etiamsi propositionum syllogismi plures probationes afferantur, nihilominus unam partem syllogismi conficiunt. Idenque de ceteris sentiendum.

E L O C U T I O

Aeternae memoriae monumenta merentur illi et immarcescibilem lauream iure merito sibi vendicant, qui pro salute Patriae suam salutem profundunt, Audit. ornat. 2. Hinc non improbandus, quin retinendus mos veterum Latii Graeciaeque populorum, qui tanti Heroum suorum virtutem aestimabant, ut non solum dignissimum eam laudibus attollerent, sed etiam mortem illorum pro vita Reip. susceptam aeternum quasi victuris statuis redderent gloriosissimam. 3. Exstant enim praeclearissima rei huius praesertim apud Romanos exempla, quorum tanta fuit erga bene meritos de Patria cives pietas et gratitudo, ut nunquam eorum nomina mori paterentur.

4. Quamobrem Octavio cuidam, dum munus legationis apud Antiochi Regis nepotem aliosque Reges obiret, Laodiceae occiso, ea causa quod in publica functione vitam finierit, erigi colossus decreverunt. 5. Neque vero Tullium Cluvium Luciumque Roscium cum sociis a Veientum Rege ob Rempublicam lucis usura absque summo honore ad posteros transmiserunt. 6. Quid? Ciceronemne virtutis inter suos insignem promotorem non recte fecisse iudicabimus, cum Servio Sulpicio ad M. Antonium Reip. hostem, Senatus Legato in eaque legatione consumpto, multis praeclearisque rationibus et oratione disertissima perennis famae gratia statuas poni suasit et persuasit? 7. Ad Graecos veniamus, quorum Plateen-

ses in agro suo, ubi quondam commissum adversus Persas proelium fuit, singulis prorsus annis in eorum honorem bellatorum, quos illic gen-rossime pro communi totius Graeciae libertate cecidisse constabat, sollemnissimo apparatu sacra peragebant. 8. Quid dicam de Sycionis, qui suae vindici libertatis, Arato, exstructo publica voluntate sepulchro, natalem quoque eius quotannis celebrabant ?

9. Quis vero hos Polonos Heroes pro Patria cecidisse negabit, qui proxima nuper pugna cum Moschis Cosacisque tam strenue manus conseruerunt, ut fortiter profligato in acie hoste occumbere, quam victori, si cessissent, superesse maluerint ? 10. Non enim praedae causa, quae ex illis hostibus vel rara, vel nulla fertur; non ostentationis, cui locus in proelio deest; non alicuius prophani lucri spe, a quali semper generosae mentes abhorrent; non denique stipendiorum expectatione certissima, quibus in hac temporum calamitate se frustrari videbant, in aciem descenderunt, sed pro solius incolumitate Patriae non tam scuta, quam pectora sua frequentissimis hostium telis obiecerunt.

11. Videre illos fuit exsultantes animis, ut tuba terribilem sonitum dedit aere canoro; spectare fuit ad mortem certissimam semper affinem Marti non aliter ac ad lautissimum convivium ruentes; cernere fuit hostilem confidentes aciem, obvium quemque sternentes et instar leonum armatas turmas proterentes, dissipantes, conculcantes. Stabat equidem prae oculis hostium terror, ac toties probata saevitia et crudelitas; verum has insitus heroicis pectoribus amor Patriae contempsit et superavit. Itaque cum in bello quisque fortissimus primus cadit, etiam nostri heroes clarissimi quia fortissimi, ob amorem salutemque Patriae ceciderunt. 12. Nam licet aeternae laudis, quam nobilissimi honestissime semper ambiunt, gloriosissima accensi cupiditate fuerint; verum tamen est credibilius generosis mentibus ante omnia Republicae incolumitatem et recuperandae dignitatis gloriaeque Polonae studium prae oculis in pugna haesisse.

13. Quod cum ita sit, erige iam, Mater amantissima POLONIA, filiis pro te sepultis aeternum victura trophaea non in Martio campo, sed potius in animo tuo quandoquidem haec fuso in gratiam tui sanguine sibi merito compararunt. 14. Suscipite eiusmodi nomini vestro dicata monumenta in pectore Matris vestrae; suscipite virtuti oblata vestrae nunquam revocanda testimonia, celeberrimi heroes, neque minus perenni gestorum vestrorum memoria atque celebretione, quam aliis ex veterum consuetudine decerni solitis. Molibus laetemini. Ruerent fortassis opinione citius licet ex immortalis adamante confectae statuae praeclarissimo nomini vestro consecratae, sed in animis fratrum vestrorum, in corde parentis, vestrae vobis aeternae memoriae positi colossi nunquam collabentur. Vos occasu vestro tristissimam a Patria eclypsim avertistis, exemplo quoque vestro plurimos pro eadem ad rem strenue gerendam ipsamque mortem oppetendam incitabitis. Itaque nullibi pulchrius et perennius immortalis vestrae famae possunt vigere laureae, quam prae cordiis istae Patriae, vestra virtute salvae, vincentis, triumphantis. Apud quam:

In freta dum fluvii current
dum montibus umbrae
Lustrabunt convexa, polus
dum sidera pascet
Semper honos vester, nomēn,
laudesque manebunt.

SECUNDUS MODUS

Per Syllogismum quadripartitum.

Sumamus pro exemplo recentem Patriae nostrae felicitatem, quae ad suorum illustrissimorum Potocci Lubomirscique ducum, Serenissimi Regis Ioannis Casimiri suosque pedes taeterrimorum hostium cum summis exercitibus maxima eaque omnia capita depositis reverenter armis iacuisse vidit. Gratulemur ^{ergo} nostris fortissimis et sapientissimis ducibus caelo datam victoriam iuxta hunc quadripartitum Syllogismum. Maior. Caelo datam victoriam gratulari debemus. q.n.2. Minor. Vobis, duces illustrissimi, est caelo data victoria. t.n.3. Probatio minoris. A potentia hostium, quorum vires explicantur; ab audacia, qua se devoratos Poloniam iactabant; a peritia belli et favore fortunae etc. n.4, 5,6,7,8. Conclusio ante maiorem posita initio n.1., quae iterum repetitur et amplificatur. n.9,10.

E L O C U T I O.

Caelo datam victoriam tanto vehementius vobis, illustrissimi ac fortunatissimi duces gratulor, quanto graviori metu iam video liberatam Poloniam et quanto maiori periculo ruinaeque subductam ac inopinata laetitia affectam animadverto. 2. Si enim sola vestra virtute indomitam gravissimorum hostium ferociam domitam intuerer, maximam haberem occasionem vobis gratulandi, quam id alacrius praestare debeo, cum pro vobis ipsum caelum pugnassem, vestrisque pedibus hostilia qua corpora, qua arma substravisse intellego perspicacissime. 3. Neque vos eam gloriam quae ex praesenti victoria orta est, Caelo invidetis, neque illius potentiae, virtute, beneficio qui se Dominum exercituum iubet appellari, confractam esse contritamque nostrorum hostium superbiam, robur viresque negabit, cum id tam vestra pietas, quam evidentissima veritas non permittat.

4. Fuere quippe hostes propter numerum et apparatus non contemnendi: sexaginta millia Moschorum ducebantur, quibus non paucae legiones rebellium Cosacorum erant in comitatu; plures autem suppetias ferebant, utraque gens praeteritis victoriis elatissima. 5. Bellicorum deinde copiam tormentorum, pulverum et globorum, repente in moenia aut pectora nostra vibrandorum, quis exprimat? Omni sane apparatu (si brevibus omnia complectar) illae copiae, quantae fuerunt, erant instructissimae. Iam gladios in perniciem nostram stringebant, iam tela corporibus nostris infigenda attollebant, iam sclopos exonerandos in nostra capita onerabant; ad sui vero defensionem longe erant paratiores, validiores, animosiores. 6. Neque vero ostentatione tantum constabat illa multitudo, sed etiam bellandi peritia maxima pugnaeque ardore nimio prope effervecebat. Quodsi genus inquirebas nobilissimi; si animum, generosissimi; si voluntatem cruoris fundendi avidissimi; si denique fortunam paene invicti omnes erant.

7. Iam uterque ducum bello clarus, laboribus assuetus, ante actis proeliis ex animi sententia confectis inflatus, victoriae spe plenus, nihil agendum sibi esse persuaserat, nisi hoc unicum, ut obruto illo paucorum Polonorum numero, mox totam Poloniam non peragraret solum victoriis, at etiam devoraret. 8. Sed aliter faventissimi nobis Caelites decreverunt, qui tam fortem, tam fortunatum, numerosum, audacem, in-

victum, sibi iusto plus fidentem hostem eo clamitatis adegerunt, ut enectus fame, diminutus armis, constantia vestra, duces illustrissimi, humiliatus, prudentia superatus, militum virtute devictus, totum sese arbitrio vestro permiserit et durissimis foederum conditionibus acceptatis, vestras plantas paene fuerit osculatus. Quod mihi diligentius expendenti nihil aliud dicendum superest, quam illud bellicosissimi Regis: "Dextera Domini fecit virtutem". Poterant, quod ipsi ingenue fatemini, poterant illi, et viribus et numero superiores, primo congressu vobiscum conflixisse, at illis hanc mentem eripuit quis? Dextera Domini. Poterant defensivo, ut aiunt, Marte salvi et incolumes ad sua remeasse, at continuit illos quis? Dextera Domini. Poterant denique, sufficienti abundantes comteatu, licet obsidione cincti, suppetias tamen suorum certissimas expectasse, at famem illis maximam obiecit quis? Dextera Domini.

9. Quamobrem gaudete tam excellenti DEI protectione, duces illustrissimi et parta Superum favore, quamvis non sine multo Polonorum Heroum sanguine, Victoria perfrui mini. 10. Quoties vero ad vestros pedes Seremetum cum suis, tamquam olim ad VLADISLAIANOS Seinum, iacuisse precabundus cogitabitis; quoties et presentem Patriae laetitiam et externarum Nationum gratulationes et totius Catholici orbis applausum et reviviscentis praesertim Russiae faciem vobis repraesentabitis; toties Divinam pro vobis certasse manum, Indigetes militasse divos, totum dimicasse Caelum recoletis et pro tam singulari ac manifestissimo beneficio immortalis optimoque Numini immortales gratias persolvete.

TERTIUS MODUS

Per Syllogismum tripartitum.

In brevissimis hic adhibendus est. Moschos ita supplicantes Polonis Ducibus, ut vitam eis condonent obsessis, introducimus. Maior. Justis petitis annuendum est. n.1. Minor. Nos iusta, nempe, cum vita pacem petimus. n.2. Conclusio. Ergo nobis annuite. n.2.

E L O C U T I O

Non multis hic verbis opus est, ubi strepitus armorum ea interceptit, Duces Illustrissimi. Neque vero per longas ambages iusta postulata exponenda, quae, vel nutibus expressa, merentur audiri, acceptari, rata fieri. 2. Dux noster et exercitus universus rem per nos a vobis aequitati, quia clementiae coniunctissimam, expostulat. Sanguini ut nostro vitaeque parcatis, ferrum, licet eductum pro iustitia, recondatis, pacem deinde nobiscum, quibus fas est conditionibus, feriat. 3. Postulatis itaque nostris pro ea qua par est aequitate, pro ea qua polletis clementia acquiescite nobisque vitam cum sanguine, quae in manibus sunt vestris, condonate, ut quos VLADISLAIANA fortuna complexa est, eosdem VLADISLAIANA clementia orbi commendet universo.

COROLLARIUM.

Respondetur a Polonis ducibus eodem modo.

Non solum Romanorum, sed etiam Polonorum est: Parcere subiectis et debellare superbos. 2. Cum vos, o Moschi, iniqua contra nos arma sumpsisse vidimus, opposuimus armis arma et iniquitatis ultore DEO iustos

conatus nostros promovente, vestros impetus rettudimus, immo fregimus. Nunc vero, quoniam supplices et arbitrio nostro se humiliter summittentes habemus, gladios nostros vaginâ includimus et clementiam, nobis natura insitam, vobiscum exercemus. 3. Parcimus subiectis. Ite et socios vestros foederis admissione recreate; narrateque posteris, nunquam Poloniam nostram vobiscum non clementer egisse.

QUARTUS MODUS

Per Enthymema tripartitum.

Sic amicus amico natalem diem gratulatur. Antecedens. Faustus hic dies est. n.1. Probatio. Nam tibi vitam et multa bona attulit. n.2. Amplificatio. n.3.4.5. Consequens. Ergo eum tibi gratulor. n.6.

ELOCUTIO

Inter faustos, festosque dies hodiernus tibi computandus est. 2. Nam cum nihil esses, hic ostendit, quod esses imago nostri Conditoris. Inter mortales licet hoc die comparueris, sed hac tamen conditione, ut lato virtutum passu venires ad immortales. 3. Non solum vitae, sed omnium bonorum, famae, gloriae, honorum et quae corpus animumque cōdecorant ornamentorum initium hunc tibi diem attulisse clarum est. 4. Fortunae Virtutesque Tuae a Natali tuo dependent. 5. Scito, Te, quando vivere incoepisti, etiam bene beateque vivendi posuisse fundamentum. In cunis nascitur indoles et noscitur. Quantus esset futurus Hercules, prima dies illius vitae demonstravit, qua colubros in suam perniciem immissos enecuit. Miraris illius cetera gesta? Non fuissent, nisi natus erat. Sane quem vitae, eundem gloriae quivis ortum habet. 6. Quod cum verissimum sit, quis tibi omnia vitae bona gratulans non etiam eius initium gratuletur? Ego profecto gratulor, tantique hunc diem quanti te ipsum aestimo. Vice felix et Natalem tuum tam diu celebra, quam Nestor.

QUINTUS MODUS

Per dilemma oratorium.

Sic hospitem Scholas adeuntem salutamus. Pars I dilemmatis. Sive laetitiae causam nobis attulisti, gratus es hospes. n.1. Ratio. Nam laetitia semper est accepta. n.2. Pars II. Sive admirationis dedisti occasionem, nihilominus es gratus. n.3. Ratio. Nam admiramur omnia rara, simul et amamus, qualis est adventus tuus. n.4.5. Peroratio n.6.

ELOCUTIO

Gratissimus nobis adventus est tuus, hospes humanissime. Sive enim laetitiae causam nobis attulisti, iucundissima est; sive admirationis dedisti occasionem, non est inaccepta. 2. Nam gaudium, equidem quis dubitet, omnibus rem esse gratissimam, siquidem hoc semper abundare, nunquam destitui optamus universi? Quemadmodum e diverso exsiccatricem ossium tristitiam devitamus. Atqui praesentia tua quem nostrum non exhilarat? quam optare quidem potuimus, sperare non audebamus? 3. Sed admirationem quoque in nobis vehementem excitasti. 4. Admirari enim solemus illa maxime,

quae se nostris obtutibus rarissime repraesentant. Cornices nigras, candidos olores nemo, albas illas, hos atroſ quisque mirabitur. Nimirum raritatem semper admiratio comitatur. 5. Ad rem venio. Comparēs apud nos rarissime, immo primus te hodiernus dies attulit, Hospes humanissime. Quare, ut ex communi axiomate inferam, carissimus et gratissimus es vel ideo quod rarissimus. 6. Ne ergo dubitare possis tuum adventum, tam laetum, quam admirandum, nobis gratissimum existere, occurrat huic tota haec Palaestra, quae te maximis affectibus salutatur et ut illi semper bene velis, desiderat, ut illa tibi, nobis gratissimo Hospiti, etiam grata sit vehementer exoptat.

SEXTUS MODUS

Per Inductionem.

Cum, quibusdam similibus rebus praemissis, aliquid inferitur tanquam certum propter earundem certitudinem, quibus est simile. Hoc modo reducem ex Russia E.P. Georgium Lubomirscium, Regni Campique Mareschallum etc. post Moschos Cosacosque profligatos, Illustrissimus Hieronymus Lubomirscius, eiusdem Filius, Tinecensis Abbatiae perpetuus Administrator, salutatur. Inventio cum Dispositione Pars.1. Inductionis. Solem post nocturnas tenebras redeuntem laetus orbis excipit: quod huic magnum fructuosumque lumen afferat. n.1.2. Non minori cum gaudio Romani suos Imperatores venientes cum victoriis salutabant. n.3. Hinc illis triumphos decernebant. n.4.5. Inter alios maximo cum tripudio populi Quincius dictator, victa aequorum gente, triumphans urbem ingressus est. n.6.7. Ver, pulsa hieme exurgens, quanta et hominum et animantium exultatione suscipitur! n.8.9.10. Pars 2. Inductionis sive Apodosis. Simili cum laetitia Te, Parens Illustrissime, ex bello reducem saluto. n.11. Video namque me Tuarum virtutum luminibus illustrari et provocari admirationem. n.12. Ad haec, cum de crudelissimis hostibus triumphas, gaudere tua nostraque debeo felicitate. n.13. 14. Denique, cum pacis tempora post cruenta proelia, quasi ver post hiemem, reducas in Patriam, tuum reditum nobis facis iucundissimum. n.15. Peroratio votum continet. n.16.

E L O C U T I O

Quanta laetitia praestantiorem Caeli oculum, Solem post fugatam noctis caliginem ad suum redeuntem fastigium salutatur orbis universus, E.D. Parens, assequimur id quotidiana observatione. 2. Virentes enim silvas huius in exortu suavissimis vocalium avicularum concentibus resonare; matrem frugum, terram gratissimos vapores ceu lucescenti Phoebus tuus adoleat, exhalare. Lymphas exsultantium piscium tripudiantibus pinnis agitari, itinera viatoribus impleri, campos agricolis distingui spectamus. Quod totum redeuntis, pulsa nocte, luminis efficit praesentia et cum iucunditate utilitas.

3. Hanc olim felicitatem Solis Romanorum exercituum Imperatores omnino adepti fuerant, qui si quampiam victoriae palmam obtinuissent, mirum in modum gestientis urbis gaudio reduces ex proeliis excipiebantur. 4. Hinc illa magnificorum triumphorum introducta consuetudo non nisi festiva laetantis populi omniumque ordinum, omnium coloniarum gaudia, quae ex eorum felicissimo reditu promanabant, de -

notabat. 5. Hinc illae doctorum humanas voces formare corvorum salutatio-
nes, obviantes amici, effusae turbae, theatra, spectacula, triumphales
arcus, varique applausus ortum habebant. 6. Ac, ut alios quam plurimos
retaceam, an non Quinctius ille, ab agricultura ad Dictaturum vocatus, non
explicabili plane Romanorum laetitia et plausibus, devicta Aequorum gen-
te liberatoque ab obsidione Consule, in urbem regressus est? Ducti ante
currum (teste Romano scriptore) hostuum Duces, militaria signa praelata,
secutus ^{exercitus} praeda onustus, epulae exstructae ante omnium domos, epulantes-
que cum carmine triumphali et sollemnibus iocis comissantium modo currum
secuti sunt. Tam non parvam rei cuiusvis optatissimae fortunatissimus re-
ditus laetitiam generat suis aut spectatoribus aut exceptoribus.

8. Videre est id ultimo vernis in temporibus. Quem enim iucun-
dissimum ver, acerbissima exacta hieme remeans in orbem, non iusto gaudio
perfundit? 9. Ridet caelum, terra salit, nemora comas explicant, prata
recenti gramine, campi variegatis floribus, horti fragrantissimo spirami-
ne mortales exhilarant. "At neque iam stabulis (Venusini vatis carmen
est) gaudet pecus, aut arator igni; Nec prata canis albicant pruinis. Iam
Cytherea choros ducit Venus imminente Luna, iunctaeque Nymphis Gratiae
decenter Alterno terram quatiunt pede cum Solvitur acris hiems grata vi-
ce Veris et Favoni". 11. Verum, ut tandem ad propositum veniam, Tuus hic,
E. Parens, reditus non dissimilem in nobis hilaritatem excitavit. 12. Qua
ratione post nocturnas tenebras revertens ab caelestis ille Phaeton sil-
vas, terras, aquas omniaque sublunaria recreat, hac nos Tua, post maestis-
simam absentiam, nobis reddita praesentia laetissimos efficit, me tamen
praecipue, quem luce Tuarum Virtutum non solum fas est illuminari, sed
etiam accendi ad convenientem statui meo Paternorum gestorum imitationem.

13. Adde alteram non fictae causam laetitiae, quod veluti Quin-
ctius alter ad nos cum insigni triumpho revertaris. 14. Praemisisti iam
ante te unum hostium captum ducem, quamquam tanto maiore cum nominis tui
gloria, quanto sanctius iudicasti captivos non vinculis, at humanitate
clementiaque esse vincendos. Triumphalem vero currum Virtutes loco exer-
citus Temperantia, Prudentia, Fortitudo, Benignitas ceteraeque permul-
tae aequae conconsideratu admirabiles atque explicatu difficiles comitan-
tur. Quae nos Tuae Cel. obviam effusos non solum in stuporem rapiunt, ve-
rum etiam maxima delectatione permulcent. 15. Postremo cum Divinis cum
primis auxiliis, Tuis deinde Collegaeque Illustrissimi, Militum fortissi-
morum laboribus, ceu iucundissimum post hiemem saevissimam Ver, optatis-
sima pacis tempora post acerbissimas bellorum vices ad nos Tecum ac per
Tequidem reducantur, quam nobis hac de causa Tuus hic reditus iucundissi-
mus esse debet?

16. Hunc igitur, Parens Excellenstissime, nobis desideratissi-
mum suavissimumque gratulamur, TIBI vero vovemus non ea, quae Patronis
clientes, sed quae amantissimi filii dulcissimis Parentibus optima vove-
re possunt et apprecari. Utinam Optimum Numen rata nostra vota faciat, TE-
que diu nobis, Ecclesiae, Patriae salvum, pium, fortem conservet beata -
que donet immortalitate.

SEPTIMUS MODUS

Per Exemplum.

Non contemnenda quoque est breviores oratiunculas faciendi
haec ratio cum aliquod exemplum rei propositae ad dicendum conveniens

breviter per "Prothesim" ponitur, cui postea res ipsa per "Apodosim" applicatur similitudine vel dissimilitudine. Pro Praxi alteram Epibatiriam, qua alter filiorum / subicio. "inventio" cum "Dispositione". Exemplum. P. Africani Scipionem, bello Africano confecto redeuntem, maxima Urbis laetitia fuisse exceptum (lib. 30 cap. ultimo) narrat Livius. n. 1. 2. 3. " Applicatio". Tu, Parens E., Scipio noster es. n. 45. Itaque cum victoria te redeuntem laeti suscipimus n. 6. 7. " Amplificatio" a laude et imitandarum virtutum desiderio n. 9. 10.

E L O C U T I O

SI quis Romanorum Imperatorum gaudio populi maximo, Triumphans, in urbem receptus est, sane is fuit Scipio, cui nomen Africano sub Romano missa iugum Africa peperat, Parens E. 2. Nam ille, si Latinae Historiae Parenti credendum est, pace terra marique parta, per laetam non minus pace, quam victoria Italiam, effusis non urbibus modo ad habendos honores, sed agrestum etiam turba obsidente vias, Romam parvenit et triumpho omnium clarissimo Urbem est invectus. 3. Neque immerito in ipsius ad Urbem reditu et Urbs et subditae Urbi Regiones incredibilibus hisce gaudiis incesserant, siquidem "Nulla est laudabilior laetitia, quam ex triumphis liberatorum Patriae concepta; nullus potior triumphus, quam Patriae concessus liberatoribus.

4. Scipionem te, Parens E. multorum de tua virtute non adulatorum, sed promotorum veritatis ab ingenio latae sententiae, non Romanum quidem sed Sarmaticum Scipionem declaraverunt. 5. Sive quod amplissimum Sarmatiae Regnum tuo scipione ^{x)} uti Regni Marschallus vel fulcias, vel regas, sive quod hostes Patriae forti uti Campiductor clava conteras pacemque universae Sarmatiae Romani Scipionis instar ab exilio revoces, reducas, restituas. 6. Quamobrem nunc etiam rectissima, gloriosissima et omnino, divina Victoria potitum ab humiliata Moschorum superbia ex pacata Russia tam Reipub. armis, quam tuis consiliis reducem, quis te nostrum procul dubio Scipionem non admiretur? non laeto animo salutet? non immortalibus elogiis extollat?

7. Profecto, Parens E., si hic apud nostros, qui olim apud Romanos honor daretur virtutibus, universam necesse esset Tibi, ex atrocissimo bello redeunti, obviam ire Poloniam, quae a Suecis per te liberata, a Moschis per te defensa, a Cosacis per te salva, a Transylvanis denique contemptoribus Poloniae amicitiae tua virtute purgata et erepta videtur esse. Hic ego, nisi in filiali affectu vererer excessum facere, laxarem eloquentiae frena et melioribus clarioribusque demonstrarem argumentis, unicum Te Sarmatiae nostrae Scipionem esse maximoque triumpho dignissimum. Sed it potius alienis tum linguis, tum calamis relinquens, exemplar solummodo heroicarum virtutum Te mihi, Parens E., statuam omnino diligentissime imitandum. 9. Ac, quemadmodum Tu gloriosissimum Avum nostrum totum expressisti, sic enitar ego, daboque operam, ut vivam tuarum virtutum imaginem, faventibus superis, exprimam.

10. Itaque tuum illum constantissimum erga Patriam amorem, tuam illam infractam erga Reges fidem, tuam fortitudinem, tuam sapientiam, tuam prope divinam liberalitatem, aequitatem, consilii vim nullus Apelles exactius, quam ego depingam. Vultum enim heroum multi Lysippi sculpere, multi coloribus affabre possunt, exornare Zeuxes; virtutes eorum, praeter volen-

x) scipio, tu użyte jako imię pospolite, znaczy: laska, kij.

tes filios, nemo pulchrius exarabit. Quas ut diutius in Celsitudine tua contempler imitandas, diustissimam ipsi incolumitatem, Cumaeosque annos filiali voto designo.

OCTAVUS MODUS

Per collectionem quinque partitam.

PONO e.g. Orationem funebrem, qua nomine fratris, occisi in bello militis, gratiae aguntur amicis, quod sua praesentia funus ornaverint.

In hac oratione tria puncta, quae solent in funebribus observari, adhibentur. Punctum 1. Continet defuncti laudes, per collectionem expressas. Propositio collect. Nullus est gloriosior triumphus, quam in acie pro Patria mortem competere. n.1. Ratio. Quoniam, qui in acie occubuit, vere triumphat. n.2. Rationis probatio. Nam falsus triumphus est, quem alieno sanguine, verus, quem nostro mereamur. n.3. Expolitio. Ad convivium quis, alienis vestitus accedens, risu exploditur; sic qui aliena morte parant triumphum. n.4. Complexio. Magnificus Dominus N. non falso triumphat, sed vere et gloriose, utpote pro Patria occisus. n.5.6. Punctum 2. Continet gratiarum actionem. n.7.8.9. Punctum 3. Invitationem habet n.10.

ELOCUTIO

NON est, neque reperiri potest gloriosior homini militari triumphus, Magni Domini, quam in cruento Martis campo gloriosa morte pro Patria decumbere. 2. Vero namque triumphare censetur, qui mortuus ex acie defertur ad sepulchrum, fatalem domum, luctuosus quamvis eiusmodi triumphus plerisque videatur. 3. Quis vero non falsum esse dicat triumphum, quem alieno sanguine triumphantes mercantur? Verus ille triumphus est, quem sua quisque morte in Martis emit foro. 4. Ad publicum quispiam actum, sive id convivium, sive consilium sit, fastuosus alieno vestitu si accedat, risu potius quam veneratione sit excipiendus. Ita qui aliorum morte comparatis gloriantur triumphis, indigne falsoque triumphant neque gloriam, sed ignominiam eos referre necesse est, qualem aliquando retulit cornix, alienis quae ornata plumis avium comitia fuit ingressa.

5. Magnus Dominus N., dignissimus erenni memoria Vir, non falsum peragit triumphum, utpote proprio sanguine pro Patria fuso, propria morte pro Reipub. vita suscepta comparatum. 6. Haec enim funebris pompa insignis est triumphus, lege naturae decretus, a divina voluntate approbatus, vestra Magnifici Domini, praesentia decoratus, quamquam non minus virtutibus Herois istius, cuius ad sepulchralem portam corporis exuvias sistimus, animus, credo, iam in caeleste Capitolium inductus est. 7. Quas quidem sic triumphantis herois virtutes merito hic laudibus essem decoraturus, nisi me tempus et eloquentia deficeret et multitudine earum obruta et pulchritudine stupefacta. 8. Itaque laudationem in gratiarum actionem vertens, deplorantis ereptum sibi Fratrem Magnif. D. N. nomine gratias quas possum maximas D. D. vestris persolvo, quod volueritis istius veri triumphus non tantum spectatores agere, sed etiam exornatores.

9. Deligenter in eam curam incumbet M. D. N., ut hoc, magni Officii tam suo germano, quam sibi praestiti, documentum omni data et utinam laetiori occasione D. D. vestris exsolvat. 10. Nunc siquidem nullus absque conciviis triumphus, ad lachrymis licet conditas epulas humanissime invitat.

NONUS MODUS

Praeponitur axioma, vel sententia, vel apophthegma, vel symbolum, vel hieroglyphicum, vel eruditio, vel dictum seu factum alicuius sapientis, quod a re non sit alienum; deinde, breviter explicato, res applicatur ea fere ratione, quam superius, modo septimo, exposuimus. Sit exemplum orationis funebris, praecedenti res pontis, qua, nomine hospitem et amicorum, orator, orato fratre, fratri condolet. Huius talis cum inventione dispositio. In prima parte ponitur et explicatur symbolum Henrici IV Borbonii, Navarrae Regis, n.1.2. In secunda parte ad defunctum fit applicatio. n.3. Probatur id, quod applicatum est, ratione. n.4.5. Tandem, facta apostrophe ad fratrem et amicos occisi militis, venit ad conclusionem, in qua lenitur dolor, officia deferuntur. n.6.7.8.

E L O C U T I O

Profundissimae arcanum sapientiae suo symbolo Rex Navarrae Henricus agnomine IV involverat, M.D.N. Pingi enim putridum mortui hominis caput et super hoc serpentem volebat, addito lemmate: "Te nunquam timui". 2. Egregium, sane regium hoc inventum est, quo non aliud innuit, quam nihil se unquam minus timuisse morte. 3. Fortissimus vir, unice dilectus M.D.N. rectissime hoc symbolum poterat usurpasse meritoque mortem sic alloqui: "Te nunquam timui". 4. Sciebat enim a Marte se non nisi ad mortem vocari; nullibi Parcas uberiores, quam in Bellonae campo, habere messem, in congressu cum hoste ineundo, cum Libitina sibi fuisse congregiendum sciebat. 5. Sed quoniam morte fuit animosior, mortem non timuit, audaciori animo pro patriae vita eam subivit; cumque multos hostes vel vulneribus affecisset, vel penitus confecisset, cum hostili tandem ictu, quod generosissimum Martis alumnum decebat, intrepidus mortis ictum excepit.

6. Atque hoc tibi, M.D.N. singulare in tanta doloris magnitudine est solatium, quod, quem pari amore atque te ipsum prosequeris, fortiori mente saevae Libitinae falcem tulerit, quam ipsa feriret. 7. Hoc vobis, M.D.D., defuncti N. intimi amici, maeroris adest levamen, quod quem luges occisum, et pro Republica et fortissime occubuerit. 8. Quod vero ad lugubrem spectat cenam, habebis M.D.N. mensae convivas, quos immensi luctus adiutores, quos ultimi obsequii exanimato corpori exhibitores habuisti.

DECIMUS MODUS

Per Thesim et Hypothesim.

Praemittitur generalis aliquis discursus, cui particularis adiungitur; in utroque rationes, probationes, exornationes adhibentur. Familiaris hic modus est iis, qui in genere deliberativo et demonstrativo versantur. Cum enim toties eadem paene dicendi materia occurrat et communes laudes nobilitatis, virtutis, religionis, pacis, belli et his similium passim tractentur, hoc modo eruditionem quandam et ingenium prae se ferente ita exornantur, ut variari videantur. Haec tersus aevi nostri rhetor Casimirus Koiakowicz S.J.; cuius quandoquidem oratoriae institutiones, penultimum scribens modum, acquisivi, ex his elegantem praesentis modi praxim deprompsi, quam huc demonstrato artificio afferro.

Genus istius oratiunculae deliberativum est. Adhortatur enim quem -
piam publicae rei curam suscipiat. Thesis. Nobilis ingenii est publicis
se rebus impendere. b. m. 3. Ratio sententiosa a simili ducta b. pa. n. 2. Proba-
tio rationis a definitione Nobilitatis p. c. n. 3. Exornatio a consuetudine
Romanorum per reiectionem. t. q. m. in. n. 4. 5. 6. Ratio 2 ab eventuro causaque
finali. u. tt. n. 7. 8. 9. Exornatio a dicto Cic. n. 10. Ratio 2 repetit. b. n. 11.
Hypothesis. Tu, Domine N. Reip. te impendas. n. 12. Ratio per allegoriam. b. t.
n. 13. Probatio rationis a causa finali p. c. m. n. 14. Exornationibus loco po-
nitur confutatio tac. ob q. b. p. c. n. 15. 16. 17: Hypothesis iterum loco epilo-
gi repetitur n. 18.

E L O C U T I O

Nobilis genii gloriossimum ingenium est publicis curis studia fortu-
narum ac vitae impendere. 2. Quemadmodum enim sidera, quae solem sequuntur,
non caelo tantum, verum etiam officio succedunt, pari ratione heroum filii
caeleste genus non ad privatae tantummodo domus, sed etiam ad publicorum
haereditatem obsequiorum successione admittuntur. 3. Libera est nobilitas
nec domesticam fert servitutem adeo, ut qui commune bonum negligit, priva-
to careat. 4. Nescio quid Romani Imperatores voluerint, cum obituri simu-
lacrum aureum Fortunae tanquam e tumulo succesoribus porrigerent illudque
religiose cultum in domestico larario servari demandarent.

5. Non ego vos, inania monstra, infestabo neque rationem facti re-
quiram; verum tamen pudeat publicam fortunam domestico carceri inclusisse
et aureo pretio obscuritatem mercatos esse. 6. Si fortunam vestram a natis
rite servatam cupitis, proferatur in publicum: Sentiatur Populus eorum felici-
tate se beari; intelligant universi, Principum vitam et vitae successus
communes subditis esse. 7. Hac itur ad veram gloriam, ad famam, ad peren-
nitatem. 8. Quis e tenebris lucem emicaturam speret, cum adverso usu, dis-
camus longo tempore, aspectu diu privatos, solem deinceps non sustinere?
9. Assumendus est omnibus immortalitatis studiosis magnus ille et vere ge-
nerosus animus, ut Rempubicam eam intelligant, cui nos totos dare et con-
secrare debemus. 10. Credendum Tullio: "Nihil esse ex omnibus rebus humanis
praeclarius, aut praestantius, quam de Republica bene mereri" - admonenti.
11. Aeternitas nimirum, quam tantis laboribus quaerimus, intra Rempubicam
continetur, ut de ea bene meriti immortalitatem mereantur.

12. Macte virtute N. et publico bono natus publicam solem intueri.
13. Excita scintillas in ortu nobilissimo susceptas; excita semina virtutis
in flores et generosum naturae impetum ad ardua promove. 14. Non nobis solis,
sed Patriae nati sumus. Civis Patriae non est, qui sibi vivit, quamquam
nec sibi vivere dicendus, qui nulli vivit. Turpe est in cunabulis per tot
annos non excrescere, semper ea prospectare, aut iis accubare. 15. Satis
quidem se nonnulli generosos putant, si delicatulam prolem ultra saepes
comitantem videant, nimium etiam, si ad tribunalia aut comitia deductam.
16. Debueram autem fortassis dicere, ad convivia et popinas vix dignum ho-
mine, non Polono.

17. Viris egemus, non asseclis, non turba. Polonos date Patriae,
non famulos; id est fortes, animosos, ad ardua promptos, ad proelia eru-
ditos, ad consilia efformatos. 18. Talem te quoque exspectat et sibi pos-
cit Patria; tali frui incipit. Perge passu, quo coepisti et maioribus in-
siste curis, maiora laturus praemia laudis, dignitatis.

NOTA 1. His expressis modis etiam locum dari in scribendis epistolis et epigrammatis fingendis, uti quidam iam in praxi ostenderunt.

NOTA 2. Alios modos plures tam apud eruditum rhetorem R.P. Michaellem Radau, quam apud alterum eiusdem Societatis in Oratoriis Institutionibus reperiri et insuper, quivis ingenium felix nactus, plures sibi poterit excogitare. Sed illi quoque non spernendi sunt, qui iuxta praecepta progymnasmatum rhetoricorum, parte priore expressa, formantur. Iam vel generalem componendae orationis modum in tota parte 2 et appendice explicatum habes.

Ceterum leva dense hoc opusculum, quod tui causa, Amator Eloquenticiae, elaboratum est; grato animo suscipe et pro authore - nostrae salutis Authorem deprecare, qui tibi

quoque propitius existat
artemque ~~ta~~ bene dicendi
quam bene vivendi
te doceat.

----- • -----

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
DEPARTMENT OF CHEMISTRY

REPORT OF THE
COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE
OF THE STATE OF ILLINOIS
FOR THE YEAR 1880

ALBION B. HARRIS, COMMISSIONER
JAMES W. HARRIS, ASSISTANT COMMISSIONER

CHICAGO: PUBLISHED BY THE
STATE OF ILLINOIS, 1881.

THE LAND OFFICE OF THE STATE OF ILLINOIS
HAS THE HONOR TO ACKNOWLEDGE THE RECEIPT
OF THE REPORT OF THE COMMISSIONERS OF THE
LAND OFFICE FOR THE YEAR 1880, AND TO
STATE THAT THE SAME HAS BEEN
FORWARDED TO THE SENATE AND HOUSE OF
REPRESENTATIVES OF THE STATE OF ILLINOIS
FOR THEIR CONSIDERATION.

ALBION B. HARRIS, COMMISSIONER
JAMES W. HARRIS, ASSISTANT COMMISSIONER

CHICAGO: PUBLISHED BY THE
STATE OF ILLINOIS, 1881.

EXCERPTA E PRIMA ET SECUNDA EDITIONE
PRODROMI REGINAE ARTIUM

Qui praecedit Prodromi textus sumptus est ex quarta editione (Cracoviae, sine anno). Haec editio Cracoviensis amplior est tribus prioribus. Ex alia autem parte nonnulla materia, quae exstat in prima vel secunda editione, deficit in quarta. Propterea hic ex prima editione (Prodromus Reginae Artium, sive Informatio Tyronum Eloquentiae. Authore Stanislao a Iesu Maria ex Scholis Pijs. Superiorum permissu. Editio prima, Varsaviae. Apud Viduam et Haered: Petri Elerti, S.R.M. Typographi, 1663) reproducimus

1. frontispicium (pag. III primae editionis),
2. facultatem et approbationem (pag. VI),
3. dedicationem Antonio de Lumbros consecratam (pag. VII-VIII),
4. praefationem ad lectorem (pag. IX-X),
5. ex Parte I, Numero I, Capite III: De Chris, -- Praxim III: S. Joannes Apostolus... cum haereticum conspexisset... subito regressus (pag. 16-20),
6. ex Parte I, Num. II, Cap. I: De Confirmatione, -- Praxim: Confirmatur Polona libertas (pag. 29-33),
7. ex Parte I, Num. II, Cap. II: De Confutatione, -- Praxim: Confutatur Polona libertas (pag. 34-38),
8. ex Parte I, Num. III, Cap. V: De Descriptione, -- Praxim IV: Tempestas, et reddita malacia describitur (pag. 77),
9. ex Parte I, Num. III, Cap. V: De Descriptione, -- Praxim V: Divitis hominis ex Rosciana descriptio (pag. 77-78),
10. ex Parte I, Num. III, Cap. V: De Descriptione, -- Praxim VI: Descriptio funebris pompae, et funeris (pag. 78-80),
11. ex Parte I, Num. III, Cap. V: De Descriptione, -- Praxim VII: Infernalium paenarum... descriptio (pag. 80-82),
12. ex Parte I, Num. III, Cap. V: De Descriptione, -- Praxim VIII: Descriptio caelestis Patriae... (pag. 82-86).

E secunda autem editione (Prodromus Reginae Artium, sive Informatio Tyronum Eloquentiae. Authore Stanislao a Iesu Maria ex Scholis Pijs. Superiorum permissu. Editio II. Auctior. Varsaviae. Apud Viduam et Haered: Petri Elert, S.R.M. Typographi, 1664) reproducimus

1. dedicationem Hieronymo et Alexandro Lubormirsciis consecratam, quae loco dedicationis ad Antonium Lumbros posita est (pag. III secundae editionis),
2. ex Appendice Praxim III: Epibatirion Stanislao Lubomirski consecratum (pag. 217-230).

Nonnullae breves sententiae vel dicta, quae in prima vel secunda editione apparent, in quarta autem desunt, hic non citantur.

EXERCISES IN THE HISTORY OF THE
PROGRESS OF THE

The following exercises are intended to be used as a guide in the study of the history of the progress of the human mind. They are arranged in a logical order, and each exercise is designed to lead the student to a deeper understanding of the subject. The exercises are as follows:

1. The history of the human mind from the beginning of time to the present day.
2. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the intellect.
3. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the emotions.
4. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the will.
5. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the conscience.
6. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the imagination.
7. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the memory.
8. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the reasoning power.
9. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the moral sense.
10. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the aesthetic sense.
11. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the scientific spirit.
12. The history of the human mind from the beginning of time to the present day, with special reference to the development of the religious faith.

The student is to be guided in the study of these exercises by the following principles:

1. To study the history of the human mind as a whole, and not as a collection of isolated facts.
2. To study the history of the human mind as a process, and not as a static condition.
3. To study the history of the human mind as a development, and not as a mere succession of events.
4. To study the history of the human mind as a unity, and not as a collection of disconnected parts.
5. To study the history of the human mind as a mystery, and not as a mere collection of facts.

EX EDITIONE PRIMA

1.

FRONTISPICIUM



*Magnifico Domino, Domino Joanni Libero Baroni in Ho-
rodyszczce etc.etc. Pogroszewskio auctore humillime
offert 1669.*

In parte inferiore conspicitur dedicatio a Seruo Dei Stanislae a Iesu Maria Papezynski sua manu scripta :
"Magnifico Domino, Domino Joanni Libero Baroni in
Horodyszczce etc.etc. Pogroszewskio auctore humillime
offert 1669."



In 1776 the Continental Congress adopted the Declaration of Independence, which declared the thirteen colonies to be free and independent states. The document was signed by representatives of the colonies and was a landmark event in American history. It established the principle of self-government and the right of the people to alter or to abolish their government.

2.

FACULTAS .

Iacobus a S. BARBARA Praepositus Provincialis Cler. Pauper.
Matris Dei Scholarum Piarum per Poloniam.

Liber, cui titulus, PRODROMUS REGINAE ARTIUM, per P.
Stanislaum a I.M. Congregationis nostrae Sacerdotem conscrip-
tus, et ab aliquot Patribus nostris, quibus id commissum erat,
approbatus, potestate mihi facta ab A.R.P. nostro Camillo a
S. Hieronymo Praeposito Generali, ut Typis excudi possit, per-
mitto. In quorum fidem haec manu mea subscripta officij mei
sigillo munivi. Varsaviae 30. Augusti. Anno 1663.

Iacobus a S. BARBARA
Praep: Provinc: mpp.

APPROBATIO.

Perillustris et Adm Rēdi, D. Matthaei Iagodowicz I.U.D.
Prothonotarij Apostol: Płocen: Varsavien: Pułtovien: Cano-
nici, Vicarij in Spiritualibus, et General: Offic. Varsavien:
ac per Ducatum Masoviae, Sacr: Regiae Reginalisque Maiest:
Poloniae ac Sueciae Secretarij, Ordinarij Librorum Censoris.

PRODROMUM REGINAE ARTIUM a Religioso P. Stanislao a I.M.
Paup: Matris Dei Scholar: Piarum Presbytero conscriptum, et
minime Orthodoxae fidei, atque bonis moribus adversantem legi,
iudicoque ob commodum studiosae Iuventutis posse Typis mandari;
quam ad rem ordinariam facultatem concedo.

Matthaeus Iagodowicz I.U.D.
Canonicus et Offic. General. Varsav. etc. mpp.

Illustrissimo & Excellentissimo Domino, D. ANTONIO DE LUMBRES
Dno de Herbinghen, Loz, & La Claye, Christianissimo Regi A
Sanctoribus Consiliis, Regii Ordinis Equiti, et Eiusdem Sacrae
Majestatis in Polonia Legato utramque felicitatem.

Cum scholastico munere Te convenio, Illustrissime
Domine, Prodromum Reginae Artium invictissimi Galliarum Regis
Legato, hoc est MERCURIO Mercurium affero, et offero. Inerudi-
tum hoc opusculum est; eruditissimi tamen in Viri audet compa-
rere aspectu; eo nempe fine, quo clientes minimi maximos patro-
nos quaerunt. Equidem Tibi, ILLUSTRISSE Domine, non solum maius,
sed etiam praestantius donum convenire scio. Quis enim Te (si
liceat ariditatem nostram Tulliano fluente temperare) est, aut
nobilitate, aut probitate, aut optimarum artium scientiarumque
studio, aut innocentia, aut ullo genere laudis praestantior?
Genus ex ea familia ducis, quae antiquissima est et Illustrissi-
ma. Vitae rationem hanc tenes, quae Cristianissimi Regis magnum
Consiliarium, magnum Legatum et commendat, et ornat. Doctrinam
talem habes, qualis in multis optanda est, in paucis invenienda.
Ommino nihil in Te eorum desideratur, quae aliquis Ethicus in
Principe Gallici Regni Viro demonstrat, cum ait: "In hoc unum
incubuerunt Reges Franci, ut, quos bonis moribus, Virtutibus
plurimis, doctrina praeditos et ornatos viderent; illis honores
dignitatesque conferent, illis Legationes obeundas traderent,
illorum prudentiae rerum summam committerent, denique in illis
collocatam vellent omnem totius Regni Majestatem." Non erravit
S.R.M. in conferendis Tibi honoribus, et functionibus, ILLUSTRIS-
SSE Domine; quandoquidem reperta sunt in Te ea omnia, quae-
cumque in illo requiri possunt, qui Regiam circumferre solet et
Majestatem et dignitatem. Sed Tuas Laudes O suae (?) folijs in-
scriptas legant posteri, et ij maxime quibus perpetuae sunt dul-
cia commoda pacis. Mihi munus erat meum potius laudandum, quo
benignius acceptaretur. Et fecissem hoc, nisi in Te eius Herois
animum advertissem, cui nihil est ingratum, nihil parvum, nihil
vile. Securus ergo de Tua humanitate, do, dedicoque Tibi haustas
ex Oceano Eloquentiae aquas; non ut aliquando sitim Tuam, eru-
ditionis liquorum plenus, illis extinguas; at ut Orbi pateat
universo, tantum Te in acceptando fuisse comem et benevolum,
quantum ego fuerim audax et praeceps in offerendo. Quodsi munus
meum tam felix futurum est, ut in Patriam usque Tuam tecum
deferre statuas; an non ego merito plaudam quando exiguus meae
Reginae Prodromus Magni Regis Legatum comitabitur?

Illustrissimae Celsitudinis Tuae

Servus Devotus

Stanislaus a Iesu Maria
Scholar. Piarum

CANDIDO LECTORI

Author salutem.

REGINAM Artium, sic artem dicendi cum eloquentissimo Vernulaeo nominavi, sex libris complexus sum. Tam exiguis littoribus immensum Eloquentiae oceanum clausi. Ex quo irrigandorum Iuventutis ingeniorum gratia hos fonticulos deduxi quos Prodromum Reginae Artium placuit appellare. Si enim, candide Lector, huic opusculo favebis, etiam ipsam Reginam brevi conspicias in luce. Fateor hunc praesentem libellum nihil habere preciosissimi, ac proinde parum apud eruditae mentis Viros aestimationis habiturum praevideo. Sed provideo hic Tyronibus Eloquentiae, non Magistris: Tyrones his paucis praeceptiunculis informandos suscepi; illis ergo volvendas et perdiscendas trado, consecro, et commendo. Quod si miraris, ne numerosissima in Rhetorum cohorte audere comparare, causam habe: quod non omnibus omnes aequae arrident Rhetores, et prosunt. Ut enim armorum copia, non ob solam tantum paratur necessitatem, ast etiam ob convenientiam; sic librorum. Ensis aliquis erit optimus, sed non omnibus optime convenit, et accomodari potest: Ita Cicerone, Aristotele, Quintiliano, Trapezuntio, Causino, Soario, Lauxmino et aliis trecentis Rhetoribus quid melius? tamen aliis Tullius, aliis Causinus; quibusdam Quintillianus, Lauxminus quibusdam, nonnullis Graeci, nonnullis Latini eloquentiae Magistri placent, conveniunt, proficui sunt. Caeterum, quidquid alicubi in plurimis Rhetoribus quaeras, in nostra Regina reperias, et in hoc Prodromo spectabis. Totam dicendi artem continet, facilis est, praeceptis et exemplis abundat simul, non tam raris, quam claris; inde spero Tyronibus non inutilem, tibi vero, candide Lector, non ingratum. Vale.

NOMINA AUTHORIZUM.

quos in tradenda dicendi Arte Author secutus est.

Cicero.	Author Palatij R.E.
Aristoteles.	Causinus.
Quintilianus	Voellius.
Halycarnassaeus	Radau.
Trapezuntius.	Koiałowicz.
Aphthonius	Manu scripti 5.

Christa
mixta ex
Masenio

PRAXIS III. S. Ioannes Apostolus balneum ingressus, cum Cerinthum illic haereticum conspexisset, subito regressus : Fugiamus, inquit, ne ipsa in nos balnea corruant ubi Cerinthius lavatur.

Exordium

Quanto nobis studio pravorum societas declinanda sit, suo nobis exemplo ille dilectus Servatori nostro Apostolus Ioannes declaravit. Balneum is forte ingressus quosdam illic conveniendi gratia : in quo cum Cerinthum hominem non moribus minus, quam doctrina corruptum deprehendisset, subito pedem retulit, atque ad comites versus: Fugiamus, inquit, ne ipsa etc. Mirentur sane in Ioanne castimoniam alii

Pneumatica
elegans

qua Christo imprimis placuisse memoratur : amorem alii, quo et Servatorem ipse complexus est, et ab illo vicissimi ad arcana quaeque ipsumque adeo sinum Numinis admissus est; sapientiam alii divinarumque rerum cognitionem, qua non praesentia modo, sed et futura tempora ac summam aeternae felicitatis habitationem penetravit : ego in hac eius circumspectione et integritatem, qua corrupti etiam hominis consortium horruit; et amorem, quo Dei legem est prosecutus; et sapientiam, qua periculum societatis improbae abunde perspexit, veneror. Sentit enim non leve discrimen adire ho-

Expositio

mines, si non salutis, certe paenarum improbis imminentium, qui eorum consortio immiscentur. Et merito ita sensit. Dei

Causa

enim hostis, quisquis a virtute et honestate aversam vitam agit; Daemonis, capitalis generis nostri inimici, amicus est, ut quidquid vel ille malorum inferre voluerit, vel hic potuerit, hoc improbis iure sit formidandum. Quibus obsecro, tot Deus, tamque gravia bellorum infligit fulmina, praeterquam sceleratis hominibus; quae cum integras saepe urbes, nationes, ac regna devastant, Probos iuxta improbos involvunt? quibus tam violentae regionum inundationes, tam repentina diversarum Urbium incendia, tot tamque graves anni tempestates caelique aut sicci nimium, aut frigidi, aut etiam humidioris iniuriae per varios late populos divisae intentantur; nisi Dei, aequitatisque, hostibus, et nefando flagitiorum caeno irretitis? neque tamen omnes quotquot harum calamitatum participes sunt, sunt etiam eiusdem impietatis. Quibus dira per Orbem fales, pestilentesque morbi, et tot hominum saepe una occumbentium lues nascitur; nisi moribus ante perditis, quam morte perdendis mortalibus? Qui tamen eadem secum contagione etiam insontes abstinent, docentque: "Latius saepe cladem, quam crimen spargi." Vitavit igitur Apostolus, et caute, profligatae vitae haereticorum vitavit; ne fulmen in perditum hominem iusto aliquando iudicio destinatum, illo fortasse feriret tempore, quo Apostolus accessisset, satisque Deo ad paenam innocentis etiam videretur, cum nocente so-

Contrarium

ciari. Quam multi improvisa morte fulminati non iacerent, nisi improbis societate iuncti! o si isti e sepulchris rursum ad vitam emergerent, si retro ad statum pristinum fata viam indulgerent; quanti illi orationis vi in perniciose haec consortia detonarent! quot scopulos offensionum aperirent! quot paenarum acerbitates detegerent! quantum in hac societate insidiarum, quantum latere calamitatum ostenderent! sub illius umbraculis suas Daemonum explicare artes, machinationes recondere, spicula tentationum figere, vulnera malorum infligere, sepulchrum, atque utinam non etiam infernum, hominibus impleri docerent! Sed cur a mortuis vocem ex-

pectamus, quando tot in vita atque omni retro historia! Exemplum teste suppeditantur, ut contra experientiam solemque ipsum clarissime veritatis pugnare censendus sit, si quis haec ausit inficiari? Quot in Sodoma ac Gomorrha infantes nullo scelere polutos; quot in generali illa orbis eluvione innocentes fuisse credetis! quando ex istis inius Lothi, ex hac unius Noë familia tantum est conservata? Illic Deus igne rapuit, hic aqua suffocavit, quidquid sceleratorum consortio immixtum erat: non illos aetas, non integritas a crimine, non divina mansuetudo subduxit: "permixtum flagitiosis esse etiam sine flagitio satis ad communis exitii calamitatem incurrendam fuit." Quot Solyma insontium Iudaeorum complectabatur, quando a Tito, et Vespasiano quinque mensium obsidione pressa, interceptaque est? Confluxerat solemniore festo multitudo ad Urbem ingens ac repente milite et vallo octo stadiorum cincta eo inediae redacta est, ut ad obscoenos quoque cibos, et humanae etiam carnis esum verteret: plusquam quingenti transfugarum, atque interceptorum in dies ex crucibus suffixi miserandum Urbi praebuere spectaculum, et Christi olim innocenter suffixi reducere memoriam. Denique eo Iudaeorum clades urbe iam occupata pervenisse censenda est, ut undecies centena millia pereuntium, venditorum sub corona haud infra decem millia numerata sint. Quot hic innoxii nocentium calamitatibus involuti perierunt! quot vivere, atque extra periculum subsistere poterant, si Ioannes exemplo cautiores improbae Pharisaeorum sectae temere non adhaesisset! Placuit illi Noë potius Lothique vestigiis inhaerere, qui cum moniti sceleratorum societati primo quidem ob-sisterent, deinde etiam absisterent, sibi securitatem, aliis exemplum reliquere, quo periculosum esse Societati flagitiosorum immisceri, posteri agnoscerent. Etenim ut Nautae imprudentis, Simile est, non declinare loca, quae aliorum naufragio esse didicit infamia; sic hominis incolulti est, ea minime consortia devitare, quae cum salutis discrimine frequentantur. Et tanto quidem hic illis stultior habendus, quanto salus animae opum, vitaeque conservatio-ne est potior. Pereunt naufragio merces, et possunt instaurari; "innocentiae nulla reparatio est, quae cum semel perit, aeternum perit." Navis colliditur, et alia superest; vita etiam quandoque amittitur, et restat probis melior; "salutis iactura in pravorum Societate facta non raro perennis est; cum difficile sit ab his semel Syrenibus abducto, atque ad hanc scyllam adhaerenti retro pedem ad tutiora subducere." Minora his pericula Ioannes cum Cerinthum fugeret, timuit, et tamen fugit; satis illi ad declinandum hoc consortium fuit, quod turpe esset etiam innocenti cum improbis occumbere; ut turpe nautae esset, in scopulum impingere, plurimorum iam naufragiis celebratum. Breve argutumque Poetae dictum est. "Fide; sed cui, vide". Non tibi negavit fidem alteri dandam, non Testim. prensandam societatem, non abiiciendam amicitiam. Delectum haberi voluit, ut cui te adiungeres, quam boni nominis laudataeque vitae homini, hoc imprimis omni studio provideres, ut in syrtes aut scopulos non impingas, ne virtutis inimicum amplectaris, et exemplo Amasae inter perfidi cuiusdam Ioabi brachia, dum oscula expectas, pugione inflictio confodiaris. Illud lubens repeto: "Fide, sed cui vide." Ille profecto sapit, qui tutissimo Apostoli con- Epilogus silio utitur, et ab improborum Consortio pedem subtrahit, nec eodem tecto, dum licet, moratur; ne vindicem Dei iram eius saepe hostibus imminentem experiatur; siquidem: "Raro antecedentem scelestum Deseruit pede paena claudo."

P R A X I S.

CONFIRMATUR POLONA LIBERTAS.

Invidet universus orbis, ac vicinae praesertim gravissima servitute opresse gentes, auream gloriosissimae Nobilitati Polonae libertatem; atque idcirco nefariam esse rem, totius huius inclytissimi regni fatale exitium, Polonorum nobilium liberas voces, praecleara iura, non tyrannicas leges quis non canit Exterorum? Quanquam, si "libertas est facultas vivendi a legibus", quis eam iure merito reprehendat? quis non potius laudet? quis non summo desiderio expetat? quis non protectricem potius, et conservatricem Regnorum, cum laude et honestate, nominet, quam deforme quoddam et exitiale monstrum cum invidia? Certo autem certius est, eam esse Polonorum libertatem, quae nulla ex parte a legibus discrepet, quin potius illas conservet, immo "Lex ipsa Libertas Polona est". Quamobrem, si manifesta res est, nunquam aliquid sceleste, nunquam male, nunquam insolenter, nunquam impie, nunquam cum periculo fieri, quod secundum legum amussim fit, nemo ab hinc Polonam libertatem, sanis et iustis legum limitibus circumscriptam, vel malam, vel noxiam, dixerit; tollendam, aut saltem minuendam iudicavit, nisi penitus ipsam non solum Regni, sed et rationis legem voluerit infringere. Si namque vel ex ipso Tullio inquiramus, Tullio dico, Romani Senatus aevi sui lucidissimo sole; Quid est libertas? respondebit: Potestatem vivendi esse, ut velis. "Quid" vero vivit, ut vult? nisi profecto, qui recta sequitur, qui gaudet officii, cui vivendi via considerata, atque pronixa est; qui (denique ait Tullius) ne legibus quidem propter metum paret, sed eas sequitur, atque colit, quia id salutare maxime esse iudicat; qui nihil ducit, nihil facit, nihil cogitat denique nisi libenter et libere: cuius omnia consilia, resque omnes, quas gerit, ab ipsa proficiscuntur, eademque referuntur: nec est ulla res, quae plus apud eum polleat, quam ipsius voluntas, atque iudicium: cui quidem (quae vim habere maxime dicitur) fortuna ipsa cedit;" sicut sapiens Poeta dixit: Suis ea cuique fingitur moribus. Admiramini iam, credo, Auditores, liberum hominem, tam ingeniose simul ac sapienter a Romano Senatore depictum? intueri fortassis etiam illam optatis, et vestros animos, tam praestantis viri aspectu recreare? Atqui, si Polonam Remp. inspexeritis, tot sane in ea sic liberos homines, quot Nobiles animadvertetis: quibus illa tanquam columnis firmissima innixa, tot saecula inter tot turbines, fulmina, tempestates, integra incolumisque perduravit. Nihil enim est impossibile, hanc Matrem fecundissimam ab his Filiis semper defendi, conservari, augeri, qui ex eius visceribus nati, in eius gremio educati, in eius sinu tanta libertate obvallati conquiescunt, quantum nulla natio praeter Romanos quondam rerum Dominos unquam habuit, a quibus tamen Romanis considerato minus eventu in exilium ad Sarmatos pulsata, hic sibi immortalem sedem collocavit. Quodsi nec legibus humanis statutis Polona libertas repugnat, neque pietatem erga divinnissimum Numen aliquo modo minuit, sed magis, ac magis dilatare studet; si etiam sui capaci Nobilitati generosum quandam inserit animum, et maximo est ornamento; quod illa considerans, eo maiori in Patriam amore fertur, quo hoc feliciore bono ab ea sese cumulat agnoscit; nefas inauditum censendum est ab iis committi, qui

Acces.
a laude
libertat.

Quid
libertas.

Manife-
stum

Probabi-
le ab Au-
thor: Ci-
ceron: 5: ex
par: 5:

Possibile

haerens

huic struunt libertati insidias, qui hanc allatrant, qui hac nihil magis pestiferum in Lechico orbe existere mordacibus magis, quam iustis rationibus affirmant. Itane, o Polonae libertatis inimici! rationis lumine capti estis, ut illius decorem splendidi- **Decorum** ssimum non videatis? illius lucem, tenebras putetis? illius pulchritudinem, dignitatem, excellentiam, turpitudinis, abominationis, opprobrii tela veletis? Utinam, utinam vestris ab oculis invidiae caligo deflueret, cerneretis profecto, nihil sub sole Polona libertate praestantius, nihil celsius, nihil preciosius. Aurea est Polona libertas, aurea est; hinc perstringit oculos mancipiorum; parvi non potest aestimari, nisi a parvis ingeniis, animis, iudiciis. "Quidquid in amplissimo Sarmatiae Regno ornamentorum reperitur, totum id ab aurea libertate procedit." Aliter non sentit ullus, praeter eos forsitan, quibus vel generis obscuritas, vel conditionis vilitas, vel defectus virtutis libertatis portam occlusit: aut certe illorum aliquis, qui extincta libertate, Poloniam satagunt extinguere. Non ignorant enim, o florentissima florenti- **Utile per** ssimarum Regionum Regina Polonia! non ignorant inimici **apostrop.** tui, tuum florentissimum statum, integritatem, salutem- **ad Poloniam** que omnem in libertatis tuae vindicum Heroum humeris esse reclinatam. Norunt universam tui curam ad Nobilissimos Equites Polonos pertinere; sciunt tuae rei gubernandae apud Sanctissimos, et Spientissimos Senatores quasi in deposito esse collocatum consilium: clare penetrant, te tam diu salvam fore, quam diu aurea libertas his omnibus non fuerit erepta: eo usque te in flore pulcherrimo, in vigore venustissimo, in splendore nitidissimo permansuram autumnant; quousque etiam suo in flore, vigore, splendoreque libertas apud Nobiles, inter Equites, in Senatu permanebit. Itaque omnibus in hoc inimici tui viribus incumbunt, ut quam primum hanc Libertatem pessum- **Epilog.** dent, auferant, tollant, et te simul cum illa sempiternae **Epilog.** ruinae involvant. Sed bono animo estote, nobilissima Sarmatiae germina, Christianae rei propugnacula totiusque orbis decora, Nobiles Poloni; Vates ego non ero falsus, "numquam" vobis auream "libertatem ereptam iri" promittens, "si numquam caelestis, Sancta, vere Catholica", cuius apud vos longe maximus fervor est, "Religio eripietur; sique Ecclesiastica", quam semper amaturi estis, ac defensuri, "Libertas nullo modo" a vobis "violabitur."

7.

P R A X I S.

CONFUTATUR POLONA LIBERTAS.

Ita sane est, Auditores: vivit politica Liber- **Exordium** tas, si non spiritualis suffocatur. "Immunitas enim Status **a. conne-** Ecclesiastici, quid est nisi falcerum honestae Politico- **siene** rum libertatis?" At quomodo, qui pedem ipse sibi vel ab- **simile.** scindit, vel sauciat stare non potest; hac ratione specie- **Confut.** sa illa, et altissima prophanorum Ordinum ruit libertas, si in ru- **haec Ano-** inam sacrae libertatis conspiret. Videte mihi Transsylvanos sub **ymus est,** Turcarum gementes iugo; Liberos quondam antequam libertatem sacri **quid esse** Ordinis violassent. Graeciam quoque mortuam videre, sepulta est in **vera.** suis ruinis, cum Ecclesiasticam libertatem sepeliebat. "Nemo liber esse potest, qui liberam Christi immortalis Regis sponsam gravi premit iugo. Quamprimum pilateos Dei servos legibus saeculi sub coronam trahimus; mancipamur ipsi continuo perpetuae servituti."

Talis si dici non potest Polona libertas, appellabo libertatem, laudabo **Obscure**; dabo etiam, approbabo. Sed quis hoc dicat esse libertatem, quod licentiosius, quam barbari vivamus? "Vera libertas in custodia legum reposita est; et multo magis divinarum, quam humanarum". At quos ego hic et quotos in Polonia reperiam, qui ideo se nullis affirmant obstrictos esse legibus, quod liberi sint? Sum, inquit **Ethiopaea** plurimi, nobili Domo ortus, libertate gaudeo; quis mihi irena iniiciet? quis me in ius trahet? quis puniet delinquentem? quis rebellem domabit? liber sum, Dominum ignoro, nisi quem ipse mihi liberrimis suffragiis elegero, huncque talem, qui se iuramento obstringat ad me non plectendum, etiamsi videat insolescentem: nam eo ipso, quod liber sum, omnia mihi licere puto. O egregiam libertatem! nisi malis verius vocari licentiam. Iam vero "quis **Incred.** credat, hoc esse Polonae libertatis proprium, ut cum se liberam maxime existimet Respublica, maxime serviat?" Conveniunt frequenter Sacri Procerum Ordines communi bono consulturi; suos etiam Internuntios ad Consilium mittit Equestris Ordo. En tibi; consentiente Senatu, non discrepantibus Nobilitatis animis, unus tantum, liber scilicet, e medio sese homo proripit, unicum illud "Non consentio", bis, terve intonat, et iam repente omnia consilia perturbat, adeo, ut, tametsi quidpiam saluberrimum statuendum sit, ob unius improbi plerumque et inimici Patriae civis minus consideratam resistantiam, irritum subito reddatur. Ergo te liberam, Polonia, esse dicam, cui unus copiose verum insane loquens homo, cum vult imperat? tu ne cares omni iugo, quam factiosus aliquis Drances, una vocula dum liber, opprimit? Assere tu quantumvis; negat **Imposs.** orbis te esse liberam; sed vel servam, vel licentiosam, quod abominabilius, affirmat. Bellum tibi pro aris et focis gerendum est; sine consensu omnium te ipsam defendere non potes. Vidua manes, et Rex tibi quaerendus est; non concordantibus universorum Ordinum suffragiis Regem habere non potes. Indiges, vel necessitatis gratia, vel ornamentis, ut tui thesauri augeantur; promulgas ergo legem agrariam, quis eam suscipit? tributa imponis, quis persolvit? illi ipsi, qui ex tuis ornamentis fiunt copiosi, qui tuis fulgent opibus, gaudent inopia benefactricis, et ex tuo tuam nolunt sublevare egestatem. In tanta ergo tui oppressione, quis nisi insanus te liberam appellabit? Venio iam ad praeclaras tuas leges, quas, nisi liberos nimis tuos Equites offendere metuerem, haereses nominarem. Quid? tu divinae iustitiae rigorem tuis statutis audes mitigare? DEUS oculum pro oculo, vitam pro vita reddi iubet; tu paucis aere multis ereptam lucis usuram persolvendam esse statuis? DEUS non est acceptor personarum; omnes cuiuscumque fiat status atque conditionis, scelestos puniendos esse censet; Tu, si manum plebeius nobili iniiciat dilaniandum esse iudicas; contra, nobilem, quamvis innumeros profecto ex plebe crudelissime trucidet, ne tangi quidem permittis, liberum esse proclamas, crumenam plectis Tyranni, non caput? Haec tua libertas est? o Polonia! pudet me **Indecorum** tui dedecoris, quod tibi liberi pariunt saepe et imponunt. Ah! quam non bene audis apud exteros, ob insolentem Domesticorum libertatem! Quin etiam ipsi tui Reges, quid de te sentiunt, sentisne? Unius gravissimi ac Sapientissimi Regis STEPHANI unica Oratio, quam turpem tibi inussit notam! tu ab hoc non libera, sed **Antithesa**, licentiosa; non nobilis, sed infamis; non Regina, sed serva, es nuncupata. Nec immerito: "servit" enim "gravem servitutem, qui nescit insolentes regere, vel non vult castigare." Illud **Inutile** autem, quam, non dicam sacrilegum, sed noxium est, quod

specie tuarum libertatum, sacras violas immunitates ? Barbarae quoque gentes tanti Religionem aestimabant, et aestimant hactenus, ut scelus esse maximum putent, aliquod DEO sacrum, vas vel attactu digiti polluere; Tu saevis in vasa optimi Sanctissimi Numinis, cum Christos eius non tangis, sed laceras: cum tua libertas, eorum suffocet libertatem. Quae comitia fecisti, in quibus Ecclesiasticos non oppugnasti ? quot conventus habuisti, in quibus Spirituales non oppressisti ? quae tributa imposuisti, a quibus Sacrosanctum illum Summorum Patrum Ordinem exemisti ? Miles hybernis indiget ? In Spiritualibus bonis locatur. Famelicus est ? pane Christi nutritur. Nudus alget ? ab Ecclesia vestitur. Quin etiam compotare vult ? Ecclesiae subditi nummos subministrant. Opprobrium, non libertatem ! Aularum mensae, argento, auroque splendent; Divina Altaria cupro DEUM sustentant, plumbo, lignoque ! quia Sacra supellex in prophatissimos usus, per speciem Pietatis transfusa est. Verum Epilogus ne vobis nimis onerosus existam, cum verus esse volc, Auditores, de Polona libertate plura non dicam; tantum illud unicum opto: "ut quicumque hanc delicatam Martis Filiam, Libertatem, sinu vestro teneatis, eam sic foveatis, ne in furiosam Medaeam denatos suos aliquando Filios interficiat peregrinum Iasona deperiens".

8.

P R A X I S.

TEMPESTAS, ET REDDITA MALACIA DESCRIBITUR.

Aeneid. lib. I.

Incumbuere mari totumque a sedibus imis
Una Eurisque, Notusque ruunt, creberque procellis
Africus. Desumenda haec descriptio ex Virgilio
usque ad versus.

Prospiciens genitor, caeloque invectus aperto,
Flectis equos, curruque volans dat lora fecundo.

9.

P R A X I S.

DIVITIS HOMINIS EX ROSCIANA DESCRIPTIO.

Habet relaxandi animi causa ^{rus} amaenum et suburbanum; plura praeterea praedia, neque tamen ullum nisi praeclarum et propinquum. Domus referta vasis corynthis, et deliacis, in quibus Authepsa illa, quam tanto precio nuper mercatus est, ut, qui praeter euntes precium mercari audiebant, fundum venire arbitrarentur. Quid praeterea caelati argenti ? quid stragulae vestis ? quid pictarum tabularum ? quid signorum ? quid marmoris apud illum putatis esse ? tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis coacervari una in domo potuit. Familiam vero quantam, et quam variis cum artificiis habeat, quid ego dicam ? Mitto hasce artes vulgares, coquos, pistoros, lectuarios; animi et aurium causa, tot homines habet, ut quotidiano cantu vocum, et nervorum, tibiaram, nocturnisque conviviis, tota vicinitas personet ?

DESCRIPTIO FUNEBRIS POMPAE, ET FUNERIS.
ex Bider. Her. 1. I.

Nuper Aventina cum forte quietus ab aula
Despicerem, Latio qua via iuncta foro est.
Obvia pompa fuit, lugubribus horrida signis,
Pulla habitu, tristis murmure, lenta gradu.
Parebant maesti per lina madentia vultus,
Et gemitum rupti pectora antra dabant.
Lurida praebebant piceam funalia flammam;
Inque manu multis atra cupressus erat.
Terreor aspectu, et refuga cervice gementem
damno, gemens illo non minus ipse, gregem.
Ecce autem medio sublimis in agmine lectus
Sena sub hexaphoro subdita colla gravat.
Hanc super effigies hominis composita iacentis
Extendit gelidos calce rigente pedes.
Fracta labat cernix, humerique et brachia languent:
Nec tenor in venis est, nec in osse vigor
Stat macies, cecidere genae, cutis arida pendet,
Nec calor in membris est, nec in ore color.
Aucterata silent Samii labra lege Magistri;
Et nihil in surda proficit aure sonus.
Ipsa diem excludunt obductis lumina valvis,
Aeternaque oculos nukila nocte premunt.
Interea funus procedit, et ordine longo
Compositi partes quisque doloris agit.
Donec ad exiguae foveam venere lacunae
(Vix patuit senos tota lacuna pedes)
Hic Iuvenem molli evolvunt (crudele !) grabato,
Primaque direpta praemia veste legunt
Tum titulis urnam spoliant, ut, imagine rapta,
Vix etiam fuerit quis prius ipse, sciat.
Caetera nudatum tegetis cum parte relictæ
In scrobis angustae vile cubile trahunt.
Mox alii super atque alii discrimine nullo
Iniiciunt putrem, flebile pondus, humum.
Nec fabulo vexare caput, neque pulvere parcunt
Lumina, nec molles laedere mole genas
Sed pedibus nares super, et super ora vagantur,
Cognatasque premunt calce gravante manus.
Tum ne qua redeat veteres prior hospes in aedes,
Muniri obiecto marmore claustra iubent
Inscribuntque: Sicut patris his est Filius orbi:
Maluerat situs hic ipse iacere pater,
Hic ego, quem tragici finem mihi funeris horror
Poneret, expecto, terruit ille magis.
Nam variis ubi pompa viis dilapsa relictum
In solo Iuvenem destituere loco
Nemo memor rediit, gemitum pepulere cachinni,
Et lachrymas oculi dedidicere suas.
Ora serenantur, facies hilarata renidet,
Nullaque depositus pectora luctus habet,

Coccina fumuntur, rediviva sonare iubetur
Chorda, parat solitos turba soluta iocos.
Hic mera, dicebam, mera certe in funere ducto
Edita sub pulla fabula veste fuit.
Ipsa suas Genetrix egit non infima partes;
Paene mihi totam Mimum ea sola dedit
Nam, sine quo durare diem se velle negarat;
Hoc sine iam durat mille, valetque dies.
Ipsa domi extracto cubat inter serica lecto
Stragula; sub gelida filius alget humo
Ipsa habitat Mauris pendentia tecta columnis;
Assiduo nati spargitur imbre caput.
Aurea Maternos pingunt aulaea penates;
Hunc fovet informis triste cubile situ;
Imperat ancillis famulantibus illa, capitque
Perpetuas inter prandia lauta dapes;
Ipse nec obs quibus colitur neglectus, et exsors,
Nil de Maternae munere lancis habet.
Sedula quin itidem nocturno tempore Mater,
Obvia ne nati prodeat umbra, cavet.
Usque adeo potuit fieri de Matre noverca,
Ut nati genetrix horreat ora sui.

Dissimilium
conflictio

11.

P R A X I S.

INFERNALIUM PAENARUM, DE QUIBUS APUD BIDERMANUM IBID.
DIVES EPULO QUAEERITUR, DESCRIPTIO.

Hei mihi; quas veni miserabilis hospes in oras!
Quae facies tetri, quamque inamaena, loci est!
Vos procul hinc, moneo, procul o divertite! vestros,
Qua praeriere mei, vos remonete pedes.
Omnia funestis operit nox atra tenebris,
Horridaque offusum retro agit umbra diem.
Claudimur aeratis circum undique et undique muris,
Ferratasque ligant vincula mille fores.
Obsidet hospitium gravis illaetabile maeror,
Et socia cum legione dolor.
Intus agit picei rogos atra volumina fumi,
Sulphureamque Domus tota Mephytin alit
Ignea densatis in aheni carcere flammis
Regnat, et Aethneo plus furit, aura, foco.
Urimur hoc semper, semperque renascimur igni;
Quoque necesse mori est, non licet, igne mori.
Pergite, crudeles, vulcania tela, favillae,
Vosque nimis segnes in mea fata faces:
Pergite, reliquias miserandae abrumpite vitae:
Accelerata duplum mors mihi munus erit.
Verum ego quid flammis, et ineluctabile tento
Excidium votis sollicitare meis?
Stant rata perpetuis incendia legibus; omnes
Aeternum in surdo perdimus igne preces.
Ille meos ambit piceata lampade manes,
Estque mihi Tyrii velleris ille vicem.

Quos prius Eois digitos incendere gemmis
Mos erat, hos taedis ustulat ille suis
Aurea cingebat teretes armilla lacertos,
Nunc ignita pari pondere massa ligat.
Hic ubi deformi pendet mala vipera nodo,
Ante mihi ex auro pendula torquis erat.
Quid miserum Tyrrio bis cocta fefellit aheno
Purpura? Quid Coa stamina ducta colis?
Si mihi purpureo fuit emptus hic ignis amictu:
Emptaque si Coa stamine flamma fuit!
Ah! Pereant cirrhi, pereant mea probra, capilli;
Faemina compsi quos ego saepe manu!
Torna Medusaei nidos ibi monstra colubri,
Denotumque sibi collocat hydra larem.
Circumeunt rictu Briareia turba trifauci,
Perque humeros errat perque cerasta, sinus.
Visus erat Tyrrii quondam mer a fabula vultur,
Visa Ixioniae fabula Graiae rotae.
Cogimur inviti iam credere. Pascere vino
Ipse Promethaeam viscere cogor axem.
Molior adverso marmor revolubile clivo.
Sisyphius fertur quale rotasse labor.
Tantalus idem ego sum, vanoque fugacia morsu
Esuriens Stygiis pabula sequor aquis.
Idem ego pertuso capto irrita flumina cribro;
Atque utinam paenae summa sit ista meae!
Mille aliae torquent, aliaeque; nec ullum,
Aut numerum, aut paenae copia nomen habet
Nec mirum, quod scribo meas nullo ordine paenas,
In phlegethonte suum non habet ordo locum.
Quidquid ubique boni est, et quidquid amabile ubique est,
Id procul a Stygiae valle Paludis abest.
Quidquid in orbe malum, aut miserum, aut miserabile toto,
Aut dirum, aut dictu triste videtis, adest.

12.

P R A X I S.

DESCRIPTIO CAELESTIS PATRIAE, DE QUA APUD EUNDEM POETAM
L.I. EPIST:4. AUGUSTINUS SIC DISSERIT.

Quis pacem illius Patriae, quis gaudia narret?
O pacem! o Patriae gaudia rapta meae!
Non ibi plebeiae casa visitur ulla tabernae,
Nec premit Augustum vile mapale solum.
Grandia consurgunt sed ubique palatia Regum,
Regibus optandas parsque habet omnis opes.
Isthmiaco stant aere fores, postesque smaragdus,
Et pretiosa domus limina fundat onyx
Aurea tecta nitent, paries nitet illitus auro,
Materiemque suam cedere forma iubet.
Atria beryllo crustantur, et aula pyropo.
Porticus innumeri lucem adamantis habet,
Sternuntur radiante viae, plateaeque metallo,
Lucentemque frequens incola calcat humum.
Argenti vilescit honos, gemmae omnia, gemmae;
Has etiam viles copia mira facit.

Nulla locum infestant ullo contagia tabo:
Nulla lues illic, quam LUA purget, adest.
Non ibi sole diem torrente canicula vexat,
Saevit et hiberno bruma ibi nulla gelu.
Veris adest facies, quae totum floribus annum
Pingit, et aeternis induit arva rosis.
Undique destillant opobalsama. lilia candent,
Et crocus innocuo plurimum igne rubet.
Passim prata virent, ridet seges obvia passim;
Et faciles rivi per sata mellis eunt.
Hic nardi spiratur odor, hic rore beato
Nobilis Elysium prodet aroma liquor.
Parturiunt Violam, et caltham. et colocasia campi,
Et Casiam, et pleno sparsa ligustra thymo.
Hic itidem felix, ab onustis pendula palmis,
Poma fovet, Zephyro morigerante, nemus.
Vitiferi colles, et dulcibus una racemis,
Autumnum medio vere venire iubent
At neque luna saxi, neque sol ibi mutat habenas,
Et variant cursus astra ibi nulla suos.
Totum ibi conspicuo dimanat lumen ab Agno;
Et Luna et Solis fungitur ille vicem.
Nulla ibi habent noctes, nec habent vaga tempora sedem,
Contingui durant, continuique dies.
Quid memorem positos illa intra maenia Cives ?
Ipsi omnes vestem solis ad instar habent.
Gemmiferis omnes redimiti tempora sertis,
Victrici ter, Io! voce, triumphe! canunt,
Et sua securi memorantes praelia, rident
Omnia lethaeae tela morata ferae.
Sic fuerint saevo quae decertata Nerone
Praelia tu, victo, Paule, Nerone, refers.
Sic tibi, Petre, tuam (quanta inter gaudia) narras ?
Spectatam in Iani colle fuisse crucem.
Tuque tuam, Laurens, domita sartagine prunam.
Tuque tuam memoras, Bartholomaeae, cutem
Tuque tuos enses, Cypriane, Sebaste, sagittas;
Ignes Agna, rates Ursula, Thecla feras.
Sic alii atque alii, sua quisque trophaea, subacto
Quae statuere sibi de Phlegethonte, canunt.
Scilicet exuti cognato pondere, nullas
A veteri possunt hoste timere minas.
Quin etiam, quae sunt ibi corpora, fida perenne
Iam cum mente suum corpora faedus habent.
Laedere pars partem refugit, sed compare voto,
Mutua iuratae commoda pacis amat.
Faederis haec durent ut gaudia, perpete mentem
Ubere vitalis vena liquoris alit.
Quid, quod abest morbi timor omnis, et exulat omnis
Cedere ab intacto iussa senecta loco ?
Multus ubique vigor, nihil illic debile; totam
Iure suo sedem sola iuventa capit
Inde nec ulla trium, metuuntur pensa sororum,
Actio morti illo non datur ulla foro.

Vita sed aeterno sancitur faedere, quod mors,
 Quamvis rumpatur, rumpere nulla queat.
Quae poorro Patriae est, et quanta scientia? nostis
 Omnia ibi, Cives, omnia nostis ibi.
Mentis adest acies, quae fraudi obnoxia nulli,
 Conspicuum V e r i lumen ubique videt.
Non fugiunt animi vos sensa, nec abdita fallunt,
 Alter in alterius quae videt esse sinu.
Mens eadem cunctis, eadem omnia vota; bonique
 Quidquid habere potest primum, id imus habet.
Delicias quis deinde dapum, et bellaria narret?
 Temperat Ambrosius res ibi quasque sapor?
Non epulas ibi parca manus, sed opima ministrat
 Fercula; de pleno fercula prompta penu.
O quales epulas! o qualia fercula! sordent
 Omnia mortali prandia farta cibo.
Ite, vagae, aerarium volucres genus; aequoris ite
 Pinnigeri, et nullum rete timete, greges.
Stigmatum cum tali conviva recumbere caepit,
 Iam nihil ad stomachum vestra sagina facit.
Panis adest unus; sed P a n e redundat ab uno,
 Quidquid ubique dapum nobile gustus amat
Inde licet, quod cuique liber, decerpere; sed quo
 Carpere cuique licet plurima, plura libet,
Ipsa solet saturare fames; facit ipsa repulsam
 Continua saties arte redire famem.
Talibus o epulis mihi fas accumbere! solae
 Implebunt tales omnia vota dapes.
Iam quod ibi vocis variae discordia concors,
 (O superi!) et quanta temperat arte melos?
Tale nec Aoniae testitudinis arbiter aequat:
 Nec Methymneae lesbia plectra lyrae:
Nec quem bistonio mentitur fabula cantu
 Detinuisse pigra flumina surda mora
Vocibus unum illis : et idem omnibus argumentum,
 Est DEUS : hoc solo musica plena sono est.
Hunc iuvat assiduo, iuvat unum hunc psallere, voto;
 Materies suaves haec facit ipsa modos.
Ecce autem! dum plena sonant hoc atria cantu,
 Alternoque Domus plaudit, et aula choro.
Candidus e caeli prodit penetralibus AGNUS,
 Quo nihil ipsa DEI mitius aula videt.
Agmina mille illum iuxta, mille altera circum,
 Altera vicino mille secuta gradu
Candida turba omnes, Cypriis non tacta sagittis,
 Virginis ora omnes, Virginis arma gerunt.
Qua se cunque movent subitos vestigia flores,
 Et calcata suas suggerit Hybla rosas
Suavius hi carmen reliquis, imitabile nulli,
 Voce modos omnes exsuperante canunt
Pergite felices, o, pergite! caepta, choraulae,
 Carmina per longas continuare moras.
Quae si forte nefas mihi erat cecinisse; profecto
 Fas audire mihi, si faveatis, erit.

Sed quid ego hos rivos, neglecto fonte, lacesso ?
Unus inexhaustas ille propinat opes
Inconniva Deum spectant ibi lumina, in ipso
Iam solita obtutus figere sole suos.
Quas ibi res ? quantasque vident ? quod quisque videre,
Et quod habere cupit quisque ibi, quisque videt.
Quaeque oculi nunquam videre, nec audiit auris
Ulla, nec in mentis clausa fuere sinu:
Haec ibi quisque videt, gaudetque ardetque videndo,
Conspectoque Deo, paene sit ipse Deus.
Felices animos, quibus illud cernere Numen,
Et divina oculis ora videre licet !

EX EDITIONE SECUNDA

1.

Illustrissimis et Excellentissimis Dominis,

I.D. HIERONYMO ABBATI TYNEC.

et

I.D. ALEXANDRO PRAEFECTO PERELASLAVIEN.

Comitibus in Wiśnicz, et Iarosław,

LUBOMIRSCIIIS,

S.R.I.PP.

utramque felicitatem.

Secundam mei Prodrumi editionem Vestro nomini inscribo: Illustrissimi Domini. Placeat enim, ut auctior ad vos redeat, qui apud vos ortum sumpsit. Uti flumina in pelagum refluunt ampliora; Sic isti Eloquentiae fonticuli in Vestrum SRENIIVAM. Nec obstat, quin ego me huic Flumini committam, quem aliqui suis Musis pro Castalio flumine elegerunt. Pridem Vestrum fecistis hunc Prodrumum, cum diligenti studio scriberetis, diligentiore perdisceretis, diligentissimo ad praxim deduceretis. Ergo notum Vobis, et natum apud Vos admittite in sinus Vestros, autoritate Vestra promovete, patrocinio a Zoilorum dentibus, quibus nihil non est expositum, defendite. Caeterum opto impensissime, ut, dum ex meo Prodrumo artem bene dicendi colligatis, ex Illustrissimis Maioribus Vestris artem bene vivendi colligatis: quorum vita sole illustrior, laus omni humano ingenio amplior, tanto Vobis ad bene beateque vivendum stimulo esse potest, ut aetate simul, et sapientia, et virtute proficientes magno olim Familiae Vestrae, magno Reipublicae ornamento sitis.

Illustrissimarum Dominationum Vestrarum

coram Deo Orator

S. a I.M. S.P.

2.

P R A X I S III.

Cuius Inventio & Dispositio in marginibus patet.

E P I B A T I R I O N.

Illustrissimo et Excellentissimo Dño, D.STANISLAO LUBOMIRSKI, Comiti in Wisnicz et Iaroslãw, S.R.I. Principi, Scepusiensi Praefecto etc. ex nationibus exoticis reduci consecratum.

Exordium (b) Tandem Vota nostra clementissimi superi videntur
a Sarbie- audivisse, cum Te iam, ILLUSTRISIME DNE, ab exoticis
viano nationibus reducem, ubi tribus prope detinebaris annis,
effato nobis reddiderunt. (v) Multorum supplicationes temporum
 unius huius diei praesentia Tua iucundissima compensavit. (v) Plu-
 rium dierum tristitiam hodierna, quam capimus ex Tuo reditu, laeti-
 tia detersit. (b) Nimirum Sarmatici Vatis praeclara Veritas est :

Lyrico- "Alterno redeunt choro
ra l.l. Risus, et gemitus, et madidis prope,
 Sicci cum lachrymis ioci."

(b) Maeror ille noster, quem ex diuturna Tua conceperamus absentia, reduce Te evanuit, et anxietati finem laetissima reditus Tui imposuit solemnitas. (b) Adeo sapienter fecerimus, si diem hunc gaudio-

Sententia rum esse decernemus. (v) "Ut enim sidera, sic magni, cla-
ex simili ri charique viri sine magna nequeunt animorum redire alacritate."

(q) Quos igitur Sol ab Indis revertens effectus causat, hos Tu re-
 dux ab alieno sole calentibus terris, Illustrissime Dñe, produxisti;
 nempe non solum nos, verum Universam Poloniam ad festivos plausus,
 excitasti; quandoquidem "optimis filiis in patriam remeantibus uni-
 versae Patriae interest laetari." (b) Sed me, cunctis interea tripu-
 diantibus, unica res sollicitum facit : quod scilicet hodiernae
 diei laetitiam, non ita, atque par est, explicare possim. (b) Cona-

Proposi- bor tamen, Illustrissime Dñe, Tui solemnitatem reditus
tio ad praesens, qua potero verborum et rerum contentione,
 transmittere; ac nostra Tuaque gaudia, vel eorum saltem causas, or-
 bi proponere universo. (b) Quodsi mei conatus perexiguus effectus
 videbitur, affectus profecto, quo praesens opus aggredior, maximus

Annomi- et immensus est. (v) Tu porro solam intentionem iudi-
natio cabis.

Confirma- (b) Ac primo, quae maximam nobis laetitiam, Te, .
tio. Pars I, Illustrissime Dñe, ad nos redeunte, pepererunt, animad-
Intentio vertes facillime, ubi, quid de Tua sentiamus absentia,
peragrisi- quanti praesentiam aestimamus, intelliges. (t) Disce-
nanct. Si- sseras a nobis non odio tactus Patriae, sed ut Poloniam
desinens virtutem, candorem, magnificentiam, exteris demonstrares; et exte-
 rorum vicissim dotes, consuetudines, ritus, famam, gloriosarum
 mercium Emptor, et aestimator, Poloniae Tuae praesentares. (q) U-
 trumque tanta Poloni nominis praestiti commendatione, tanta LUBO-
 MIRSCIANAE Familiae laude; ut neque nos poeniteat absentiae Tuae,
 neque Exteros conversationis. (b) Peragrabas imprimis Galliam tanta

In Galliis morum Tuorum ad illius Regulas attemperatione, ut ibi
quomodo se natus, educatus, et ab infantia videris instructus.
gerit

Incre- (t) Sequebaris Alexandri illius magni exemplum, qui, ne
mentum Persis, etsi victis a se vinctisque, exosus esset, ha-
 bitum etiam illorum nullo cum Macedonum contemptu, sed summa potius

cum gloria, gestare consueverat. (t) Nempe "illa Sa- imitatio
pientissimorum hominum praecipua est ars, et laus, exterorum
cum quibus et apud quos degant, non solum imitari, sed etiam re-
ferre." (b) Unde Tibi, Illustrissime Domine, in Galliis degenti
tanta Gallicum magnatum fuit exprimendi cura, ut gestus, incessus,
ornatus, actio, conversatio, domus, mensaque minime peregrina pe-
regrinis hominibus viderentur. (q) Carpent haec illi, Traductio
quibus non nisi domestica suaque placent; at quorum in pectore
Prudentia, Discretioque omnium moderatrix Virtutum sedem fixit,
semper immortalibus elogiis dignum esse ducent eum, qui, uti tritum
illud sonat, Romae Romano vivit more. (t) Verum ad Te Proverbium.
redeo, Illustrissime Domine, ut reliqua gesta Tua Laus
Gallica per quam compendiose expediam, ac Virtutes, quas maxime
Gens illa in Te suspexit, et celebravit, breviter attingam. (pa)
Prima in Te lucebat Prudentia; cum talis in facie a prudentia
Gentis illius apparere semper volebas, qualem Lubomir- repetitio
scii, qualem Comitum, qualem Supremi Marschalli, qualem Imperatoris
militiae, qualem tot titulis et dignitatibus ornati Parentis Filium
conveniebat videri. (f) Hinc aula Tua, Comitesque, hinc quotidiani
sumptus, hinc universa negotia temporis, loco, personisque mirifice
fuerunt accomodata. (b) Tu vero ipse tam bona Te ratione modere-
baris, ut in immatura Adolescentiae vere maturae frue- Antitheton
tus aetatis, quotquot in Te summi principesque Viri oculos defige-
bant, colligerent. (pa) Quibus ergo deinde modestiam Tuam, cuius
ad nos paene a Baltico littore promanabant exempla, praeconiis ve-
nerabor? qua Tu plurimos Tuae Vitae observantes non tantum in lau-
dem Tui concitabas, verum etiam ad imitationem pelli- a Modestia
ciebas? qua Statum sexumque omnem probe moderateque Interrogatio et
Vitam ducendi rationis tacite admonebas? qua Sybariticum luxum vi- similiter desinens
tabas, Capuanas delicias contemnabas, Circaeum imbutas philtro vo-
luptates respuebas, et respuebas esse Tuo docebas exemplo. (q)
Tanta denique admiratione illos, quibuscum tibi fuit conversatio,
implesti, tantam Polono, Tuoque generi gloriam peperisti; ut,
apud quos in Galliis morabar, hi ad nos in Poloniam venirent in-
specturi propius illum fontem, ex quo praeclaras animi corporis-
que dotes, quas per alienum solum circumferebas, hau- praetermissio
sisti. (m) Nihil dicam, qua ibi diligentia in hones- a studio eru-
tissimas literas incubuisti: quo discendi studio de- ditionis eru-
cem fere Magistros quotidie operam dedisti: quo acumine Tuum inge- parandae com-
nium commendasti: qua solertia Tibi praescriptas artes perdidicis- Conger.
ti. (m) Nihil demum referam qualis in privato, ac in publico simul
eras; quam singulari voluptate, qui in te inspicerent, implebas;
qua gratia apud Principes pollebas; quo favore Christianissimi Re-
gis excipiebare, et tractabare. (b) Properat enim a- Transitio. In
lio mea Oratio, et Te iam ex Galliis in Hispaniam na- Hisp. se con-
vigantem incipit comitari. (t) Pergebas huc, non malae
gratia curiositatis, quod solent infiniti; sed emolumentum. (pa) Vo-
lebas ut opinor genuinum illum, qui semper in illo Laus a pieta-
flore imperio, Catholicae Religionis cultum inspice- te, et devo-
re, et avitam quoque Tuam pietatem, quam ex Maternis tione
uberibus hausisti, ex Paterno pectore deprompsisti, ex omnium Ma-
iorum transtulisti monumentis, studiosissimis Orthodoxae doctri-
nae virtutisque populis inspiciendam praebere. (q) Itaque frequen-
tebas ipse Divina templa saepius, et alios frequen- Traductio
tantes laudabas, ut maximum Bonum bono foveres exemplo, et elogio
commendares. (q) Quodsi Te publicae aliquando recreabant scenae,

Maturitas ; in iis quoque Religionis zelum contemplabaris; ubi nihil erat levitatis, Maturitatis omnia, Hispanorum propriae Virtutis, plena. (pc.) Sed nihil, credo, magis ibi suspexisti, quam abstinentiam; nihil melius imbibisti, quam frugalitatem. (q) **Quaquam** istae Tecum peregrinatum Virtutes exiverant; quodque vel **Correct.** mirari, vel laudare, vel sequi in aliis alibi videbaris, iam illud in Patria pridem Tibi insitum, vel a natura, vel ab educatione, vel Numinis beneficio possidebas; ubi Religiosissimis **Incrementum** Maioribus ortus a pientissimis Praeceptoribus conversatus eras. (b) Quod igitur alii Te discere apud alias Gentes opinabantur, hoc Tu iam partum in Patria Tecum ubique terrarum ac gentium circumferebas. (ps) Quare Te illos praeclarissimos Nationes, **Anton.** optimae virtutum aestimatrices, continuo mirabantur, **Gradat.** mirantes colebant, colentes variis afficiebant muneribus, ut, quod ab iis acciperes, hoc illarum memoriam in Tuo animo imprimeret; quod illae vero Tibi offerent, hoc Tui faceret ac generaret apud eas perpetuam commendationem et recordationem. (b) **Treductio.** Exeamus ex Hispania, et ad illud omnium Nationum Populorumque Emporium, Romam inquam, festinemus. (t) Video Romam venit Summi Te hic, Illustriss. Dñe, Beatissimo Christi Vicario de **Porti. Axis. s. d.** votissime pedes exosculantem; video ab illo complexum humanissime, pretiosa donatum benedictione, magni vere Magni Filium Parentis aestimatum. (t) Video deinde sacra loca studiosissime invisentem, Divorum Apostolorum limina religiosissime venerantem, innumerabilium Martyrum sparsam consecratamque terram sanguine, miro devotionis sensu contrectantem. (b) Video Te purpurati Senatus palatia officiosissime frequentare, in iisdem benevolentissime excipi; honorari, munerari. (b) Video simul doctorum, simul piorum Virorum sacris interesse frequentius praedicationibus; ab iisque optime instructum, et suavissime deliciis refocillatum discedere paene invitum, et coactum. (b) Video Te denique omnibus hic admirationi esse, et honori; Paternaeque gloriae a Gentium quondam Dominis celebratae suavem fructum deliberare. (q) Quantus vero qualisve Tibi in Germania paratur honos, iam longe perspicis, sed quoniam metuo, ne ad Caesareae, quam adis, Maiestatis lucem orationis meae obscurentur lumina, malo tempestive in Patriam deflectere, et quanti hic Tua praesentia aestimatur, cum tanti facta sit absentia, exponere. (b) Omnes iam Te agnoscimus, Illustrissime Dñe, verum Aquilae Sarmaticae Pullum, cum Tuam excelentissimam indolem in tam multarum Sole gentium egregie probaveris. (b) Hinc communi gaudio relaxamus frena, ubi tantos tamque amplos Patriae portu Te consistente, laetamur; quam, cum late per maria, terrasque Polonorum vulgares nomen, laetabamur. (b) Omnia bona in Tua perpendimus absentia, maximi vero praesentiam aestimamus. (t) Quidquid enim alibi Virtutum, decorumque collegisti, hic in Tuae Patriae amplissimo campo seminabis, et Universa Polonia fructus metet uberrimos. (t) Non opinamur, Te minus bonorum ex nationibus exoticis, quam Illustrissimus, et Excelentissimus Parens Tuus attulerit, attulisse: quin plus attuleris, non inique sperare possumus et divinare. (q) Inde maxima nobis laetitiae seges nascitur, considerantibus praesertim; "Multum **Annominatio** Polonae Fortitudni externam prodesse Prudentiam"; quoties illa suas gubernat vires, insuperabilis est. (t) Talem Te fore praevidemus, Illustrissime Domine, qualis Athenis Philippus Macedoniae rediit; vel qualis eiusdem Filius Alexander e Gymnasio

prodiit Aristotelis. (t) Ingredere iam plures extra muros Poloniae commoraturus menses Tuam Spartam, et quantum sit in domestico pulvere non volutari, intra privatos non claudi parietes, infinitis virtutum, quas comites ex Nationibus exteris assumpsisti, proba exemplis. (pa) Nos vero, qui Tuum reditum laetissimis animis celebramus, etiam Tibi, ut nobiscum mutuo gaudio perfruare, laetitiae causas aliquot subministrabimus, aut monstrabimus; ut **Pars secunda** universus noscat Orbis, non tantum Te Patriae laetandi materiam attulisse, verum etiam Tibi eandem in hac reduci obvenisse. (b) Quid enim reperisti in Patria, Illustrissime Domine, **Causae laetitiae** quod animum Tuum Virtutibus refertissimum non exhilaret? **Pax Patriae** (t) Dedit operam Illustrissimus, Excellentissimus Patrens Tuus, ut, quam turbatam turbatus reliquisti; eandem laetus postliminio reperires. (q) Itaque ille, postquam flammis, armis, et aquis hostem terruisset, deque non solum Polonis, sed etiam Prussicis Urbibus trans mare abegisset, tanto demum studiosius Patriae incaepit curare pacem, quanto sago togam pluribus acceptiorem esse novit. (pa) Miraberis, Illustrissime Domine, fortuna- **Pacta Olivensia** tissimum ex fortissimo Duce Fecialem, cum, quod antea nunquam, multo licet ex utraque parte adhibito conatu, nobis contigissee poterat, perpetuum cum vicina consanguineaque gente Foedus ab eo diligentius compositum perniciosius trutinabis. (t) Si deinde perpendes ex Uno Polonorum Sueticorumque Factorum Fonte totius pacem Christianitatis emanasse, hic non solum laetaberis, sed totus immenso gaudio consumere. (t) At haec in Prussia gesta **Transit.** sunt, Russia iam Te vocat, Illustrissime Domine, admiranda invictissimi Parentis tropaea, maximae laetitiae incitamenta, Tibi monstratura. (t) Confer eo Te mecum, et quantum initio terroris concipies, tantum gaudii delibabis in fine. (q) Eruperat **Allegor. de-** Moschoviticis e focus ingens horrendaque flamma, iamque **descriptio** vicinas Russiae terras, ipsamque deinceps Russiam tanta **Sermetianae in Russiam** strage absorbebat, ut Poloni Tui, proximum Ucalegontha ardere conspicantes, suae quoque Patriae vastissimum incendium metuerent imminere. (b) Et quis tum vel Hercules non trepidasset, cum insuper, in quibus aliquid erat spei repositum, Tyram, Borysthenemque cum Moschovitica flamma in Poloni perniciem Regni coniu- **cul iungun-** rasse vidisset? (b) Timendum sane fuit illud Vinculum, **dir. Cosaci** quo duo Elementa, alias pugnantia secum, tum sibi fuerunt arctissime copulata. (t) Desperatio ergo Tyrae Borysthenisque **Resistant Poloniduce Polon. et Potoccian.** suffragiis nunquam Lechia non proficuis, ad unicum tota Patria currit SRENIIVAM, quo Suetia nuper Transylvanicaque meminerit se incendia restinxisse. (b) Nec falsa est opinione sua de hoc concepta, ne spe frustrata est. (q) Intumuit ille **Annominatio** salutaris Fluvijs magnis fluctibus, et vix sese incaepit **pelevasse,** mox omnibus incussit hororem hostibus, nobis excussit. (b) Postquam vero quasi raptis cataractis Russiam exercitu inundavit, omne statim incendium, quanquam non sine arduo certamine, suppressit. (b) Miscendus quippe fuit argenteo Sreniavae **Honorifica mentio Hero-** purpureus tot nobilium Heroum sanguis, cum aliter illa **um ad cudno-** duo coniuranda Elementa nequieverunt superari. (b) Sed **viam caeso-** hoc quoque Sreniavianae felicitati adscribendum est, sub cuius auspiciis Patriae saluti, tam multi tamque praeclari Filii cruorem suum devoverunt. (b) Illud autem fortissimi parentis Tui singulari **Allusio** Virtuti adscribes, quod ab Exoticis Gentibus redux Poloniam videas salvam. (q) Atque mihi videtur cum Pompeii haec Tua con- **Allusio** iuncta Fortuna: ille siquidem ex bello Mitridatico rediens unius

beneficio Ciceronis incolumem Rempublicam Urbemque Roman, a se re-
 pertam ingenue testatus est; Tu, cura Tui, totiusque Poloniae Pat-
 ris, ab interitu praeservata Polonia hodie perfrueris, idque secu-
 rus omnium iudiciorum potes, immo debes, affirmare. (q) Nam quid
 ille vorax Seremetthi gladius egisset? quantam cladem **Interrogatio**
 in Polona Gente edidisset? quot nobilium capita, quot **a consequen-**
 tuvenum senumque cervices demessuisset? nisi illum fo- **tibus**
 tissimus Parens Tuus ferocissimo Tyranno excussisset, ademisset,
 confregisset? (t) Quid illa sexaginta circiter armatorum millia
 fecissent? quo furore, audacia, crudelitate, per Universam Polo-
 niam fuissent grassata? nisi eadem Scythicis nexibus idem memora-
 tissimus Heros vincienda et in Tauricam abducenda tradidisset? (m)
 Crede mihi, Illustrissime Domine, iam tum Regnum Poloniae ab auda-
 cissimo Seremettho spe fuisse devoratum; iam Sedem Imperatori Mos-
 chorum Varsaviam Regiam Urbem designatam; iam Palatinatus faedifra-
 gis asseclis distributos; iam nobilissimas Provincias cum rebelli-
 bus rusticis divisas. (in) Verum enimvero Tuus omnia prudentissi-
 mus Parens consilia turbavit, imo abruptit; felices progressus in-
 fregit, Cosacorum exercitum ad officium coegit, Moschovitorum fas-
 tum contudit, arma vi eripuit, furorem compressit, vitam benevole
 donavit, Patriam liberavit metu, Tibi Reduci materiam comparavit
 laetandi, gloriandique : Te Patriam Patris Tui beneficio salvam et
 incolumem reperisse. (b) Eat nunc Fabius aliquis, et **Relectio. Am-**
 salutaris cunctatione Parentis sui iactet intactam Pae- **plificatio**
 norum manibus mansisse Roman. b. Eat nunc Africanus **ab exemplis**
 Scipio, et victum a se vinctumque Syphacem Regem Romanorum hostem
 gloriatur. b. Eat denique Pompeius ille magnus, et tria periculo-
 sissima bella, Sertorianum; Mitridaticum, Pyraticumque a se feli-
 citer confecta depraedicat. m. Omnia haec Tuus invictissimus, Illu-
 strissimus Dominus, Parens peregit: a Suetica possessio, **Enumeratio**
 ne, rapina potius, cum prudenter cunctatur, Poloniam liberavit: Seremetthum
 fortissimi exercitus Imperatorem cum viris aliquot Principibus in
 Triumphum duxit : Transylvanicum, Cosaticum, Moschovitumque; tria
 difficillima bella, non minus feliciter, quam fortiter confecit cum
 Collega suo bellicosissimo : cumque insigni clementia victos trac-
 tavit, non modo Fabium, Scipionem, Pompeium, sed etiam seipsum,
 ipsamque victoriam suam vicit ac superavit. t. Quare utere, Illus-
 trissime Domine, tam Excellenti Parentis Tui gloria, quam quoties
 memori mente recoles, toties in mentis gaudiis imundabis. q. Quod-
 si Tibi videtur haec non sufficere laetandi materia, quam Illust-
 rissimus Parens suppeditavit, ego exposui; afferam protinus alte-
 ram, ut perfecto gaudio possis abundare. pc. Quam putashanc, ILLU-
 STRISSIME DOMINE, existere? POTOCCIANAE Crucis Domui **2. Causa. Affi-**
 Tuae illatum puta esse splendorem; Victorias victoriis **nitas celebris**
 copulatas; Laureas laureis connexas; Sreniavam Pilavae **cum Illustrissi-**
 iunctum. b. Hoc demum est, quod animum Tuum perfecti- **et bellicosissi-**
 ssime exhilarabit. pc. Si quid enim sagax futurorum **ma Domo Poto-**
 indigatrix Mathesis veri potuit divinasse, ex hac Lu- **cciana**
 bomirsciae, Potocciaeque Domus coniunctione, tanquam ex felici
 "Primorum hoc in Regno," seu Polo Polono, "Astrorum concursu", fau-
 stissima quaeque nobis speranda sunt, et omnino expectanda. b.
 Quid cum ita fit, quis hoc publico privatoque bono non gaudeat?
 t. Sed manabit sane Tibi toto corde laetitia perpendenti, quali
 sis auctus Affinitate; quam potenti, Fortunata, celebri, nomina-
 tissima. t. Hactenus trophea Potoccorum vel audiens vel legens
 eam tantum ob causam iis afficiebare, quod Polonum per ea nomen

inclaresceret : nunc vero etiam Lubomirscium inclarescet. (t) Si-
quidem KINA PHILON PANTA; opes, fortuna, gloria : multo magis con-
sanguineorum. q. Igitur, quae fuit eritque Potocianae Crucis clari-
tas, ea in Lubomirscianum deinceps simul redundabit Sreniavam; ne-
que huius gloria alio prius, quam in POTOCCIANUM PILAVAM manabit,
eruntque iam harum amplissimarum ac Nobilissimarum Domuum, Omnia
Communia. (b) Cum vero accessione fortunae gaudere solent homines,
istius utique iam Tibi laetandum est Virtutis accessione. q. Es
enim nactus Affinem tam bello, quam Religione clarum; Laus Illu-
strissimi
Dñi Felicis
Potocki
manu strenuum, mente pium, generosum corde, simul ac
devotum : qui Lubomirscianas Virtutes, Humanitatem, Li-
beralitatē, Pietatemque non accepit modo cum dote, sed Acclamatio
olim iam tenuit haeres illarum a suis Maioribus factus. (v) Cui pro
Virtutum dignitate laudando non hoc exiguum paginarum aliquot spa-
tium, sed vix iusta Volumina sufficerent; b. Tali, tantoque Viro
illustrissimam Tuam Germanam sacri Matrimonii vinculo Peroratio
iunctum invenisti, unde Tibi aequa ratio laetandi oritur, atque
gratulandi. b. Sed relego iam orationis meae filium, Tibi gratulatio-
nem continet
que cumprimis, Illustrissime Domine, post Excellentissi-
mo Parenti; ac Illustrissimis cum Sorore Germanis, tum
reliquis etiam Propinquis et Amicis, ac deinde Nobis, Poloniaque u-
niversae felicissimum Reditum gratulor. b. Gratulor immortalem Fa-
mam; quam apud Exteras Nationes, hoc est in Universo Christiano
orbe, Lubomirscianae Familiae, ac etiam toti Polono generi Tuis
ipse Virtutibus e moribus comparasti. (b) Gratulor eruditionem;
quam tot terrarum gentiumque nobilissimus Peregrinus magna virium
ac ingenii coemisti exercitatione. (b) Gratulor experientiam rerum
magistram; cui sedulus omnium indagator consequendae unice incubu-
isti. (b) Gratulor sanitatem; quam integram incolumemque ad proprios
Lares reportasti. (b) Gratulor denique singulares animi dotes qui-
bus ornatius quam quocunque alio externo habitu vestitus eluces.
(q) Ad supremum Numen ultimo conversus, ei pro fortu- Apprecatio
natissimo Tuo hoc Reditu maximas grates persolvo; deinde supplico,
ut Te diutissime Tuis, Nobis, Poloniae, Christianaeque Reipublicae
incolumem, florentem, atque beatum velit conservare. D i x i.

NOTA. Literas, quae Elocutioni inseruntur, denotare Pe-
riodos, ita, ut v. unimembrem, b. bimembrem, t. trimembrem, q.
quadrimebrem, pa. pneumaticam, pc. periodicam circumductionem,
p. pneuma, s. schinotenem, ts. tasim, in. incisa, m. membra signi-
ficent; quod in gratiam Tyronum factum est.

A D D I T A M E N T A

LITTERAE ALIAQUE DOCUMENTA

In paginis quae sequuntur inveniuntur sex scripta vel documenta a Servo Dei Stanislao a Iesu Maria confecta.

Ex istis documentis solummodo tria in originali Servi Dei manuscripto in Archivo Generali Scholarum Piarum Romae hodie exstant.. Duo luce impressa (photographiae) hic reproducimus, tertium autem documentum (Litterae ad R.P. Foci Superiorem Generalem Scholarum Piarum) a R.P. Leodegario Picanyol, Sch.P., reperiuntur et in Ephemeridibus Calasantianis Romae anno 1945 typis impressum est. Patre Picanyol in Hispaniam regresso a nostris sodalibus in Archivo Generali Scholarum Piarum hoc ultimum documentum inveniri non potuit; quapropter illud non reproducimus. Insuper notetur oportet in pagina 129 huius editionis reproduci frontispicium Prodromi, in quo adsunt etiam aliqua verba manu Servi Dei scripta.

- 1 -

PROFESSIO VOTORUM SIMPLICIUM, 1656.

(Archivum Generale Scholarum Piarum Romae, Professiones ab anno 1656 usque ad an. 1670, f. 17)

Ego Stanislaus a Jesu Maria in saeculo Joannes Papczynski Podgrodio Sandecensi Dioecesis Cracoviensis, annorum viginti quinque facio meam professionem in Congregatione Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, et voveo omnipotenti Deo, Patri et Filio et Spiritui Sancto, ac Deiparae semper Virgini Mariae, et tibi R.P. Alexandro a S. Bernardo locum Dei tenenti pro A.R.P. Generali Joanne a Jesu Maria et omnibus successoribus eius legitime eligendis tria vota simplicia, paupertatem, castitatem, obedientiam, et iuxta eam peculiarem curam circa puerorum eruditionem, secundum formam Brevis Pauli V in nostris Constitutionibus contentam. Insuper juro me perseveraturum toto tempore vitae meae in dicta Congregatione iuxta formam Brevis Alexandri VII. Quam professionem, et vota, quibuscunque in contrarium existentibus, quibus nunc libere et integre renuntio, non obstantibus, firma, rata, et valida semper fore, et esse volo. In quorum fidem subscripsi hac die 22 mensis Julii Anni 1656. Varsaviae.

Insuper promitto me nunquam acturum, nec curaturum, nec ratione aliqua consensurum; ut, quae ordinata sunt circa Paupertatem in Constitutionibus nostrae Congregationis, immutentur; nisi quando ex iusta causa videretur Paupertas restringenda. Praeterea promitto me nunquam acturum, nec curaturum, ne indirecte quidem; ut in aliquam praelationem, vel dignitatem, in Congregatione eligar seu promovear. Promitto etiam me nunquam curaturum extra Congregationem aliquam dignitatem, seu Praelationem, nec consensurum, nisi coactus sim obedientia eius, qui mihi praecipere possit sub paena peccati. Tum si quem sciam aliquid praedictorum duorum curare, vel praetendere, promitto illum, remque totam manifestaturum Congregationi vel eius Generali Praeposito.

Vota mea Domino reddam coram omni populo eius, in atriis Domus Domini, in medio tui Jerusalem. Ego Stanislaus a Jesu Maria manu propria omnia superdicta confirmo.

JACOBUS A S. BARBARA interfui mp

JOANNES CASIMIRUS A S. THEOFILO mp

Ego Stanislaus à JESU MARIA in saeculo Joannes Papczynski annorum ^{Di. de. q. s. m. m. m. m.} viginti quinque facio meam professionem in Congregatione Pauperum Matris Dei Scholarum Piarum, & uoueo omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ac Deiparae semper Virgini MARIAE, & tibi R. P. Alexandro à S. Bernardo locum Dei tenenti pro A. R. P. Generali Joanne à JESU MARIA, & omnibus Successoribus eius legitime eligendis tria Vota Simplicitatis, Paupertatis, & Castitatis, & iuxta eam Peculiarem curam circa Puerorum eruditionem, secundum formam Breuis PAULI V in nostris Constitutionibus contentam. Insuper Juro me perseveraturum toto tempore uitae meae in dicta Congregatione iuxta formam Breuis ALEXANDRI VII. Quam Professionem, & Vota, quae seorsum in contrarium existentibus, quibus nunc liberè & integrè renuntio, non obstantibus, firma, rata, & ualida semper fore, & esse uolo. In quorum fidem subscripsi hac die 22 mensis Julij Anni 1656. Warsauia.

Insuper promitto me nunquam acturum, nec curaturum, nec ratione aliqua consensurum, ut, quae ordinata sunt circa Paupertatem in Constitutionibus nostrae Congregationis, immutentur, nisi quando ex iusta causa uideret Paupertas restringenda. Praeterea promitto me nunquam acturum, nec curaturum, nè indirectè quidem, ut in aliquam praebendam, uel dignitatem, in Congregatione eligar seu promovear.

Promitto etiam me nunquam curaturum extra Congregationem aliquam dignitatem, seu Praebendam, nec consensurum, nisi coactus sim obedientia eius, qui mihi praecipere possit sub pena peccati. Tum si quem sciam aliquod praedictorum duorum curare, uel praetendere, promitto illum, remque totam manifestaturum Congregationi uel eius Insuper Praeposito.

Vota mea Deo reddam coram omni populo eius, in atrij. Domus Dni, in medio tui Hierusalem. Ego Stanislaus à JESU MARIA manu propria omnia supradicta confirmo.

Jacobus à S. Barbara interfui mpp
 Ioannes Casimirus à S. Theophilo mpp

Höfelatus a uotis simplicibus Praepositus

Professio votorum simplicium in Scholis
Piis a Servo Dei Stanislao a Iesu Maria
Papczynski die 22 Julii 1656 nuncupata.

Cracovia 22 gbris 70

B. *Alm. Lud. in Christi Patre,*
Pater mihi attende.

Siquidem, ut mihi nuntiatum est, Sacramentum
Credis A. R. P. vobis potestatem, absoluen-
di esse ad votis simplicibus, & iuramento
perseverantia (quoniam hoc sublata fuisse
vixit unum Breve primo Alexandri VII. suppu-
rebat, iam et credebatur) qui non habe-
rent animam decessu perficendi. Prinde
Supplicio A. R. P. vobis et me dignetur hac abs-
olutione imperari, iam habentem angustiam
susceptionis iuxta decretum Synod. Quod
vixit iterum iterum potest, me ad oratio-
nibus eisdem commendando. Cracoviae 22 No-
vemb. 1670.

A. R. P. vobis
Humilissimus servus
Stanislaus a Iesu Maria

Litterae de die 22 Novembris 1670, in quibus
Servus Dei Stanislaus a Iesu Maria Papeczynski
dispensationem a votis simplicibus a P. Cosmo
Chiara Superiore Generale Scholarum
Piarum petit.

[Faint, illegible handwriting, likely bleed-through from the reverse side of the page.]

[Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or footer.]

2.

LITTERAE AD P. COSMUM CHIARA,
SUPERIOREM GENERALEM Sch.P., 1670.
(A G Sch. P., Registrum Generale 203, Memoriae Diversae)

Cracovia 22 9bris 70

B. Adm. Rnde in Christo Pater,
Pater mihi colendissime.

Siquidem, ut mihi nuntiatum est, Sanctissimus Dominus dedit A.R. Paternitati Vestrae potestatem absolvendi eos a votis simplicibus, et juramento perseverantiae (quanquam haec sublata fuisse una cum Brevi primo Alexandri VII supponebamus, jam et credebamus) qui non haberent animum solennia profitendi. Proinde supplico A.R.P. ut me dignetur hac absolutione impertiri, jam habentem congruam sustentationem iuxta decretum Apostolicum. Quod cum iterum iterumque postulo, me SS. orationibus eiusdem commendo. Cracoviae 22 Novemb. 1670.

A R P. Vestrae
humillimus servus
Stanislaus a I M. mp

Litterae inscriptae sunt:

Adm. Rndo Patri .?. Cosmo a J.M. Praeposito Generali
Clericorum Reg. Paup. Matris Dei Schol. Piarum
?...Roman

3.

LITTERAE AD P. ALEXIUM ARMINI,
SUPERIOREM GENERALEM Sch.P., 1688.
(Ephemerides Calasantianae, 1-2, Romae, 1945, pag. 29-30).

Rev. me in Christo Pater, Pater mihi colendissime.

Licet externe compulsus fuerim ad excedendum e Scholis Pijis, tamen interne illas, uti meas in spiritu educatrices, amo, et Rev. mam Paternitatem Vestram meum interne Patrem ac Superiorem agnosco, et humillime veneror. Quamobrem eandem praesentibus humillime rogo, ut pro animi tranquillitate mei, et salute, quod Paternitati Vestrae Rev. mae defero, ac manifesto, per modum internae Rev. mae P.V. voluntatis exquirendae, ita definire, et mihi praescribere velit, sicut Rev. mae P.V. perfectius, ac divinae voluntati acceptius, in Domino videbitur.

Ego ante annos circiter sexdecem (quemadmodum meminisse potest) fui coactus a P. Francisco a J.M. tunc Varsaviensi Rectore, et Polonae Provinciae in absentia Provincialis ad Generale Capitulum profecti gubernatore vestes Pauperum Matris Dei (quas tandem post absolutionem externam retinui, donec ad meas Capitulo dicto porrectas responsum obtinuissem). Deposuisse: proinde consultis de meo statu Theologis, et piis viris, repudiatis Praelaturis amplis et pinguibus mihi oblatis, candidi coloris habitum cum facultate Ordinarii et benedictione Nuntii Apostolici assumpsi, atque post aliquod temporis intervallum vastae solitudini me abdidit; erecta in ea Ecclesiola tituli Immaculatae Conceptionis B.M.V. et S. Michaelis, et sociis aliquot adscitis de consensu Ordinarii per decretum obtento. Hic aliquot annis rigidius exactis, evocatus deinde fui Neojerosolymam, vulgo Goram, a pie vita defuncto Episcopo Posnaniensi, quod facilius feci videns ibidem Scholas Pias

fundatas, quarum consilio potuissem in spiritu uti, ac juvari. Placuit deinde Episcopo domum Gorensensem nostram cum Eremitica uniri, et in unam Congregatiunculam coadunari, hac vero ... legi muniri; cuius etiam me indignum ad vitae tempora Praepositum constituit. Fundata haec est in Statu Eremitarum primi generis ab illo eruditissimo viro Prospero Fagnani, et Lauretto de Franchis, luculentissime et exactissime descripto, ad juvandas animas defunctorum fidelium suffragiis carentium, praecipue militum, et peste exstinctorum: id quod clarius e libello normae vitae, quem Rev. mae P. Vestrae mitto, patere poterit, si illum pro sua submissione et charitate perlegere dignabitur.

In hac ego Congregatiuncula professionem, qualis forma ad finem primi capituli adjecta est, emisi. Et quidem haec omnia egi praemonitus in visione a V.P. Nostro Josepho Calasancio a Matre Dei, qui me tum graviter aegrum repente sanum reddidit, ita ut ex domo Sororis meae, post horas circiter ab illa visione quatuor, me itineri longissimo commiserim, et quadraginta milliaria germanica e domo paterna ad eremum confecerim sanus et integer: quod iam quibusdam Patribus meis spiritualibus, etiam Instituti Societatis Jesu manifestavi, et Rev. mae Paternitati Vestrae de mandato mei confessarii revelo, ne gratiam acceptam sub modio detineam.

Scopus vero hujus meae epistolae is est: ut Rev. ma P.V. pro mea interna quiete, stabilitate, et salute animae, perlecto (quod humillime obsecro) normae vitae nostrae libello, dignetur mihi mentem suam, sententiam, et voluntatem, absolute quantocius exponere: utrum mihi jam hoc in statu, quem nunc (e Piis Scholis externe liber vigore Brevis Pontificii dimissus, absolute ab juramento etc. percepta externa) profiteor, ad gloriam Dei, honorem sine labe conceptae Virginis, auxilium defunctorum suffragiis carentium, sit in finem vitae, quemadmodum juravi, perseverandum? an ad meam primam Religionem Matris Dei, quam unice dilexi, diligo et colo, redeundum: quod aliqui e nostris Scholarum Piarum suadent? Ego, mi Rev. me Pater, Scholas Pias nec malitiose, nec temere deserui: sed gravissimis persecutionibus adactus, indulto apostolico consensi; cessi, slitudini me abdididi, et divina dispositione praesentem statum arripui; paratus in eo perseverare, ut juravi; paratus ad Scholas Pias redire, si hoc consultius, perfectius, et mihi conducibilius, Rev. mae P.V. videbitur. Propterea tam candide rem totam exposui, atqui in tribunali conscientiae non aliter egissem. Tuum erit, Rev. me Pater, quod senserit in Domino mandarè, meum humillime pro Domino Jesu exsequi. Interea amicas semper manus exosculor, faventesque plantas amplector. NeoJerosolymae ex Caenaculi Dni Eremitoriolo 23 martii 1688.

Rev. mae Paternitatis Vestrae obsequentissimus servus
STANISLAUS A J.M. Clericorum Recollectorum
I.C. indignus Praepositus mp.

Peto humillime responsum ad Rectorem Varsaviensem dirigi, obligatum ne aperiatur, sed mihi ad manus fideliter reddat.

P.S. Conducit aestimationi et conservacioni multorum in Scholis Piis, ut P. Joachimus Theologiae quondam primus in hac Polona Provincia Professor conservetur, ne praeceps ad Camaldulensem Ordinem Eremitarum transmigret. Haec pro mea sinceritate et in Religionem amore.

4.

LITTERAE AD P. JOANNEM FRANCISCUM FOCI,
SUPERIOREM GENERALEM Sch.P., 1696.
(Ephemerides Calasantianae, 1-2, Romae, 1945, p.29).

Rev.de in Xto Pater, Pater ac Dne mihi colendissime.

Non possum sufficientes, quascumque tamen possum licet exiles gratiarum actiones, Rev.mae Paternitati Vestrae meo meorumque omnium sociorum nomine persolvo, pro insigni, et omnia temporanea bona exuperanti beneficio. Quo nos omnes ad sacrae suae Religionis ingentia merita admisit, et veluti suos omnibus omnium suorum excellentissimis actionibus coram divina majestate incorporavit. Dabimus operam, ut tam admirabili charitati respondeamus; hoc conaturi, ut congregatiunculae nostrae cum sacra vestra Religione sit in perpetuum Cor unum, et Anima una. Quamquam ne excedere videar affectu, liceat nobis vestros esse clientes, et servos perpetuos. Qualem me cum meis confratribus dilectissimis aeternum fore contestor. In Coenaculo meo Jerosolymitano 17 februarii 1696. Rev.mae Paternitatis Vestrae subjectissimus ac devinctissimus Stanislaus a Jesu Maria non Institutior Congr. S.C. sed indignus servus...".

5.

PRAECEPTA SALUTARIA

Patris Stanislai Fundatoris Venerabilissimi pro Fratribus Marianis.
(Protocollum Ordinis Imm.Concept.Congr.Pol. etc., ff.32v-33r.)
(Arch. Dioec. Lublin. B.I,235)

1^{um}. Novitiorum diligentissima cura habeatur, unde nunquam ex Eremitio, ne quidem ad Praediolum mittantur, cum Professis non loquantur, verbo educantur secundum Constitutiones Clementis VIII de Reformatione Regularium.

2^{um}. Silentium nunquam ad mensam dispensetur, nisi recreationis tempore, sed adhibeatur continua lectio Sacrorum Librorum et Decretorum Pontificiorum, quae quotidie (cum sint apud nos loco Constitutionum) legantur.

3^{um}. Interdicitur omnibus ne in suis cubiculis res comestibiles aut potabiles retineant, imo extra mensam nec bibere nec sumere aliquid absque permissione Superioris audeant.

4^{um}. Cremati usus tam foris, quam Domi sub amissione Divinae Benedictionis inhibetur, ob honorem Christi Domini Salvatoris Nostri in Cruce sitiensis, quod utique hactenus ab omnibus Nostri pietati et sobrietati addictis observatum est.1)

5^{um}. Praesidens ne Domo nisi rarissime, idque ex gravi causa abscedere audeat. Legitime absens statuatur loco sui alium, cui omnes in Domino obediant.

6^{um}. Nihil a Domo, Ecclesia, Bibliotheca alienetur, neque pecuniae notabilis quantitas (excepto victu et vestitu nostrorum) absque scitu nostro dispensetur. Proprietatis autem scelere declarantur innodati, si qui (quod Deus avertat) aliquid pecuniae apud se vel alibi retinere ausi fuerint.

1) A verbis "quod utique" est nota P.Wetycki, Sup.Generalis, qui anno 1751 haec puncta primo transcripsit.

7^{um}. Capitula Culparum (quas etiam quotidie accedentes mensam ingenue fateri debeant) singulis feriis sextis fiant. Communis autem disciplina feria secunda, feria quarta, et sexta habeatur.

8^{um}. Feminae ad domum et curritorium non admittantur. Loco autem Directoris vetus Vitae Norma servetur.

STANISLAUS A IESUS MARIA, indignus Praepositus mpr.

6.

PROFESSIO VOTORUM SOLENNIUM, 1701.

(Archivum Generale Marianorum, apud Postulatorem Processus Posnaniensis copia publica, ff. 386-387)

In nomine Sanctissimae Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dignissimaeque Virginis Mariae Dei Matris. Ego Stanislaus a Jesus Maria Ordinis Immaculatae Conceptionis Beatissimae Virginis Mariae Congregationis Polonae Defunctorum, et Parochorum Suffragatricis indignus Praepositus promitto et voveo Deo ac Beatissimae Virgini Mariae et Omnibus Sanctis, et Tibi Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Domini Francisco Pignatello Dei et Apostolicae Sedis gratia Archi-Episcope Tarentino, Sanctissimi Domini Nostri Domini Clementis Divina Providentia Papae eius Nominis XI in Regno Poloniae Nuntio toto vitae meae tempore observare Regulam Imitationis Decem Virtutum Beatissimae Virginis Mariae Instituto Nostro non contrariantem, vivendo in Castitate, Obedientia, atque Paupertate sancta, conformando mores ad ipsam Regulam eo obligationis genere, quo in ea, vel per eam adstringuntur et obligantur illius Professores.


.....
STANISLAUS A JESU MARIA indignus Praepositus mpp.

I N D E X

	Pagina
Praefatio Rev.mi P. Superioris Generalis Congregationis CC.RR. Marianorum	III
PRODROMUS REGINAE ARTIUM	1
Dedicatio	3
Sententiae de Eloquentia	5
Ad Lectorem	6
PARS I. DE PROGYMNASMATIS ELOQUENTIAE	7
Praeludium	7
Numerus I. De progymnasmatis generis deliberativi	7
Caput I. De Fabula	7
Caput II. De Narratione	10
Caput III. De Chria	12
Caput IV. De Sententia	16
Caput V. De Thesi	18
Numerus II. De progymnasmatis generis iudicialis	20
Caput I. De Confirmatione	20
Caput II. De Confutatione	23
Caput III. De Conciliatione	26
Caput IV. De Loco Communi	29
Caput V. De Legislatione	31
Numerus III. De progymnasmatis generis demonstrativi	33
Caput I. De Laude	33
Caput II. De Vituperatione	37
Caput III. De Imitatione	39
Caput IV. De Comparatione	41
Caput V. De Descriptione	44
PARS II. DE GENERALI ET PARTICULARI QUIUSVIS ORATIONIS ARTIFICIO	48
Caput I. De Rhetoricis praeludiis	48
Caput II. De Inventione	51
Caput III. De Dispositione	57
Caput IV. De prima Elocutionis Virtute - Elegancia	64
Caput V. De secunda Elocutionis Virtute - Compositione	66
Caput VI. De Periodis	68
Caput VII. De tertia Elocutionis Virtute - Dignitate	71
Caput VIII. De Figuris Verborum	74
Caput IX. De Figuris Sententiarum	77
Caput X. De Amplificatione	86
Caput XI. De Memoria	93
Caput XII. De Actione	94



	Pagina
APPENDIX	96
Praxis I. An propter religiosam vocationem sit studiorum continuatio relinquenda ?	96
Praxis II. An Eloquentia omni hominum statui est necessaria ?	102
Praxis III. De Genere Iudiciali	108
CORROLARIUM. Modi aliquot particulares oratiunculas construendi	114
EXCERPTA EX PRIMA ET SECUNDA EDITIONE PRODROMI REGINAE ARTIUM	127
Introductio	127
EX EDITIONE PRIMA	129
1. Frontispicium	129
2. Facultas et Approbatio	131
3. Dedicatio Antonio de Lumbres	132
4. Praefatio "Candido Lectori"	133
Praxes :	
5. S. Joannes Apostolus...cum haeticum conspexisset...subito regressus...(ex Marsenio)	134
6. Confirmatur Polona Libertas	136
7. Confutatur Polona Libertas	137
8. Tempestas, et reddita malacia describitur (ex Aeneid.1.I)	138a
9. Divitis hominis ex Rosciana descriptio	138a
10. Descriptio funebris pompae, et funeris (ex Bidermano Her.1.I)	138b
11. Infernalium paenarum, de quibus apud Bidermanum ibid. dives epulo quaeritur, descriptio	138c
12. Descriptio caelestis patriae, de qua apud eundem poetam L.I. Epist:4. Augustinus sic disserit	138d
EX EDITIONE SECUNDA	139
1. Dedicatio Hieronymo et Alexandro Lubomirsciis	139
2. Praxis III (Appendix): Epibatirion...Stanislao Lubomirski... consecratum	140
ADDITAMENTA : LITTERAE ALIAQUE DOCUMENTA	146
Introductio	146
1. Professio votorum simplicium (Sch.P.)	146
2. Litterae ad P. Cosmum Chiara, Sch.P.	149
3. Litterae ad P. Alexium Armini, Sch.P.	151
4. Litterae ad P. Joannem Franciscum Foci, Sch.P.	153
5. Praecepta salutaria	153
6. Professio votorum solemnium (Ordo Immac. Conc.)	154




110.000 ✓

Biblioteka
Główna
UMK Toruń

603927

Biblioteka Główna UMK



300051126798